Tunc enim masculorum substitutio non arguit contemplationem agnationis, neque fœminas excludit quin filio-
rum appellatione veniant, quando terminatur cum primis
vocatis, neque ultrò se extendit, Secus autem ubi longo
substitutionem ordine masculi sint vocati, cùm tunc certa
videatur voluntas conservandi agnationem, ut constare
observabam ex omnibus dictis decisionibus in contrarium
allegatis, & præsertim *in d. decis.* 34. post Censal. ad Peregr.
ubi latè allegantur, Atque cum hac distinctione, quę
est germana, & vera, dicebam conciliari de plano omnes dis-
sidentes authoritates, & decisiones; Unde cùm universa
descendentia masculina in infinitum esset vocata cum ex-
pressione perpetuæ permanentiæ bonorum sub arcto, & ar-
ctissimo fideicommisso, Hinc nimis clara videbatur volun-
tas conservationis bonorum in agnatione in exclusionem
fœminarum, quoniam istis admissis, esset impossibile dic-
tam testatoris voluntatem verificari, & consequenter res-
pondendum videbatur pro fœminarum exclusione, quod-
que non facerent deficere conditionem.

Aliquam difficultatem præbebat alter punctus, an scilicet
dicta substitutio facta de filiis, fratribus, & descendentibus
alterius superviventis, conveniret ipsi Josepho cohæredi fi-
lios non habenti. Et pro negativa facere videbatur regula,
7 ut in fideicommissis non detur extensio de persona ad per-
sonam, quam latè probat Fusar. *quæst.* 458. *num.* 1. *& seq.*
ideoque personæ non vocatæ, sufficit dicere, *fideicommis-
sum de te non loquitur*, idem Fusar. *quæst.* 459. *num.* 2. & ex
8 qua ratione ita punctualiter tenet Alciat. *cons.* 87. *lib.* 9.
quem refert Peregr. *de fideicomm. art.* 13. *num.* 83. unde cùm
testator vocaret filios superstitis, non dicitur ipse superstes
vocatus.

Augebat difficultatem ratio differentiæ, cur testator fi-
lios, ac descendentes superstitis vocare voluerit, non au-
tem ipsum superstitem, quoniam ubi ex superstite adsunt fi-
lii, & descendentes masculi, intrat ratio conservandæ, &
perpetuandæ agnationis, ad quam testator principaliter res-
pexit, Ubi verò solus adest superstes sine filiis masculis,
tunc videtur testatorem noluisse gravare morientem cum
fœminis ad restituendum alteri, qui deinde moriens abs-
que filiis masculis bona relinqueret extraneis, sive filia-
bus, dum irrationabile videtur excludere proprias filias
à parentis successione, ut ista ad alias fœminas, vel ex-
traneos transeat, atque ex ista ratione satis anceps fui super
hoc puncto.

Verùm attentè considerato tenore dispositionis, matura-
9 que reflexione habita, In contrarium veritas mihi videba-
tur, ut scilicet dicta substitutio conveniret etiam Josepho
superstiti, non solùm ex authoritate Bald. *consil.* 283. *lib.* 2.
& Peregr. *cons.* 54. *num.* 14. *vol.* 1. *& dict. art.* 13. *num* 83. *in
fin.* ubi suam licèt non explicet sententiam, istam tamen te-
nere dicitur, cùm eam ultimo loco referat, ideoque eam
tenere dicitur glos. *in l. qui filium.* §. *fanus, ff. ad Trebell.* Fe-
10 lin. *cap.* 1. *num.* 55. *de constitut.* Bellett. *disquis. Cleric. ac de
exemptione a muneribus*, §. 2. *num.* 4. Surd. *cons.* 122. *num.* 22.
Ac etiam quia applicari rectè posse credebam limitationes
traditas per Fusar. *dict. quæst.* 458. *num.* 10. 19. 20. 21. & 24.
super extensione facienda de persona ad personam, præser-
tim illa absurdi *d. num.* 24. & illa possibilis comprehensio-
nis sub verbis expressis, de qua *num.* 20. & 21. quia possibi-
lis est comprehensio sub illo verbo, *fratres*, quod in plurali
est verificabile in singulari, dum sæpè pluralitas convertit-
ur in singularitatem *l. non est sine liberis, ff. de verb. signif.*
cum concord. per Fusar. *quæst.* 483. Castill. *lib.* 5. *part.* 2.
contr. cap. 121.

Sed clarius quia testator in defectum masculorum voca-
11 vit etiam fœminas, quarum vocatio resultat ex prælatione,
dum voluit masculos semper fœminis præferri, & quòd ex-
tantibus masculis fœminæ nihil prætendere possint; Præ-
latio enim supponit vocationem, *ut decis.* 152. *part.* 6. *re-
cent.* & in Romana bonorum, seu usufructus 23. Junii 1653.
coram Zarata, *& in aliis.*

Si ergo fœminæ sunt vocatæ, sed non nisi in defectum
masculorum, quas semper extantibus masculis voluit esse
totaliter exclusas, hinc dicebam quòd per necessarium ante-
cedens omnes masculi essent prius vocati juxta vulg. cons.
Ancharani 27. cum concord. *in supra alleg. decis.* 181. *p.* 10.
recent. & decis. 177. *Ottheb.* ac sæpissimè in aliis, ideoque
Joseph si veniret sub expressa vocatione filiorum, fratrum,
& descendentium superstitis, veniret sub ista virtuali, &
implicita vocatione totius generis masculini.

Neque est novum, ut non comprehensus sub dispositio-
12 ne particulari concepta sub nomine speciali, seu minus ge-
nerali, veniat sub nomine collectivo, ac magis generali,
sub quo venit, etiamsi à speciali dispositione esset exclusus,
quoties exclusio non est in odium odio particulari, ex deduc-
tis *decis.* 235. *par.* 6. *recent.* Tiburtina fideicommissi 16.
Martii, & 27. Junii 1640. coram Panziroso, quarum pri-
ma est *decis.* 209. *par.* 8. *recent.* & habetur in Amerina fidei-
commissi de Janfelicis *disc.* 49. quod odium in casu nostro,
considerari non potest, cùm testator æquè dilexerit Jose-
phum, ipsumque instituerit, atque hanc dixi mihi videri
veritatem.

Post hæc autem scripta vidi de isto puncto latè differen- 13
tes Cosciam in quadam ejus dissertatione registrata per Bar-
batum *in tract. de fideicomm. par.* 1. *cap.* 4. *inspect.* 4. *ex num.* 15.
pro fratre scribentem, & eumdem Barbatum contrariam
sententiam substinentem, ut scilicet vocato filio fratris non
veniat ipse frater; Verùm quicquid sit de utriusque scri-
bentis fundamentis, quæ levia videntur, in eo casu difficultatis ratio urgebat ob existentiam aliarum personarum,
quæ in defectum filiorum ex fratribus expresè, ac nominatim vocatæ fuerant, in quibus terminis non versabamur,
dum in præsenti non prætendebatur vocatio fratris sub ap-
pellatione ejus filiorum ex ratione extensionis, vel majoris
rationis, ut in dicto altero casu, sed punctus erat, quod fra-
ter venire deberet in defectum omnium nominatim voca-
torum sub genere masculorum, & sic sub nomine collecti-
vo, à quo, cessante ratione odii, etiam nominatim exclusi
non excluduntur, atque ista videbatur urgens ratio, cui de-
ducta in dicto allo diverso casu nullatenus adversari videtur,

SUTRINA SUCCESSIONIS

Inter Partes ut infrà.

VOTUM.

De eadem materia reciprocæ linearis quando intrat necnè.

Et quando fideicommissum dicatur restrictum ad certam ætatem, vel certum tempus, vel potius restrictione non obstante sit indefinitum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Substitutio restricta ad certum tempus, puta ætatis pupillaris, ultra illud non extenditur.*
3 *Fallit ex conjecturis, ex quibus facienda est suppletio, & de materia suppletionis.*
4 *De substitutione pupillari, ut sit indefinita, & perpetua.*
5 *Examinantur conjecturæ id suadentes.*
6 *De regula exclusiva reciprocæ linearis, & quòd intelligatur discretivè in qualibet linea.*
7 *De fallentia ex conjecturis.*
8 *Examinantur conjecturæ pro limitatione.*
9 *De legitima non detrahenda ex bonis particulari fideicommisso subjectis, & de illius præsumpta consumptione.*

DISC. CIII.

TArquinius, institutis Dominico, Francisco, & Con-
stantino filiis, quorum duo erant pupilli, unus verò 1
adultus, disposuit quod (sunt verba formalia,) *Si aliquis
ex eis decesserit in pupillari ætate, tunc, & eo casu alter alteri
succedat, & succedere debeat, & debeant per fideicommissum,
& jure substitutionis in perpetuum, & ita etiam inter eorum
hæredes, & successores, & descendentes proximores succeden-
dum, & servandum, & dictis suis filiis, & hæredibus, ut eo-
rum descendentibus, & successoribus; & cuilibet eorum in per-
petuum dictus testator prohibuit alienationem bonorum stabi-
lium, sed semper dicta bona permanere in ejus familia, & suc-
cessoribus, & eis subjecta per fideicommissum.*

Ex Dominico defuncto fuit superstes Jo. Antonius, quo
in pupillari ætate mortuo, superstitibus Anna matre, &
aliquibus sororibus uterinis, inter istas, ac præfatos Fran-
ciscum, & Constantinum patruos orta fuit quæstio super
præfati Jo. Antonii intestata successione, qua ad favorem
matris, vel sororum terminata in alio voto, de quo *in hac
eadem causa, sub 1st. de success.* ex cipientibus patruis respectu
bonorum stabilium de dicto fideicommisso per Tarqui-
nium ordinato, ab altera parte impugnato, Hinc de tribus
dubitari contigit; Primò an dicta substitutio restricta esset
ad tempus pupillaris ætatis, itaut ea finita evanuerit; Se-
cundò quatenus tanquam indefinita duraret, an adesset re-
cipro-

ciproca de linea ad lineam, vel potius in qualibet linea dis-
cretivè ordinata censeretur; Et tertiò an posita dicta reci-
proca de linea ad lineam obstarent detractiones, super qui-
bus, lite pendente coram Gubernatore Scrofani decidenda
de meo voto, illud dedi, ut sequitur.

Quoad primam, pro substitutionis expiratione obstare
2 videtur conclusio, ut substitutio ad certum tempus restri-
cta, ultra illud non extendatur, sed eo elapso expiret, ad
text. *in l. si quis ita, ff. de vulgari*, cum concordantibus in
puncto substitutionis limitatæ ad ætatem pupillarem per
Rotam *decis.* 19. *part.* 1. *decis.* 168. *& decis.* 348. *part.* 6. *rec.* in
omnibus *num.* 1. *& in qua decis.* 19. *num.* 2. *cum seqq.* respon-
detur in specie argumenta resultanti à prohibitione aliena-
tionis, cum ratione conservandi bona in agnatione, ut
tanquam consecutiva intelligantur eodem themate retento,
& quatenus substitutionis casus eveniat.

Contrarium tamen mihi de jure verius videtur, quod
nempè testator indefinitam, ac fideicommissariam substitu-
tionem ordinare voluerit, quamvis in testamento non le-
gatur, cùm sæpè ex Notario non incuria, vel allo accidenti
sequatur, ut minus reperiatur scriptum, quàm fuerit dic-
tum, quo casu ex conjecturis aliisque circumstantiis dispo-
nentis voluntatem ostendentibus suppletio fit à lege, vel à
judice ad text. *in l. unum ex familia*, §. *penultimo, & finali,
ff. de legat.* 2. *l.* 1. §. *si ex fund. ff. de hæred. instit. l. errorem, C.
de testam. l. cum avus, ff. de cond. & demonstr. l. cum acutissi-
mi, C. de fideicomm. & in aliis*, de quibus Menoch. *cons.* 232.
3 *num.* 14. *cum seqq.* Fusar. *de substit. qu.* 284. *n.* 4. & cæteri, de
quibus infra in Tudertina fideicomm. de Accursiis *disc.* 115.
ubi de hac materia suppletionis.

Et in specie, quod dispositio directa ad filium impuberem
ex conjecturis remaneat indefinita pro omni tempore etiam
4 post pubertatem est doctrina Bart. communiter recepta *in l.
Centurio, num.* 31. *vers. fallit, ff. de vulgari*, quam sequun-
tur cæteri in his terminis deducti per Lancellot. Galliam
cons. 38. *numer.* 14. *& seq.* & in proximis terminis ratiocina-
tur Decian. *cons.* 34. *num.* 57. *lib.* 3. & confert dispositio tex-
tus *in l. si frater tuus, C. de fideicomm.* ubi licèt glossa suppo-
nat fideicommissi confirmationem post pupillarem ætatem
resultare, ex eo quod testator adjecerit verbum, *quando-
cumque*, Attamen, Vel glossa loquitur divinativè, Vel
verius loquitur exemplificativè, itaut non restringat ad illum
solum casum, Ac proinde ex dict. text. resultat, quòd sub-
stitutio restricta ad pupillarem, ex aliis voluntatis demon-
strationibus esse potest omni tempore fideicommissaria,
quasi quòd in ore calami remanserit illud verbum deficiens,
vel quandocumque; Et quamvis Bart. ubi suprà verè non lo-
quitur de substitutione restricta ad pupillarem ætatem, sed
de expressione gravati cum qualitate impuberis, atque ma-
gna videatur esse differentia inter unum casum, & alterum,
cùm in hoc secundo non adsit restrictiva, Attamen ex eo-
dem Bart. clarè constat, ut etiam sumpta dicta qualitate pro
restrictiva, adhuc diversa disponentis voluntas aliunde de-
sumpta debeat attendi.

Hanc igitur voluntatem clarè ostendere videntur; Primò
5 illa verba, *per fideicommissum, & jure substitutionis in perpe-
tuum*, quæ omninò repugnare videntur, ut sint ad solam pu-
pillarem ætatem limitata; Secundò fortissimè inæqualitas
gravatorum, quorum unus erat pubes, itaut ejus grava-
men verificati non posset, unde fuisset inæqualis provisio
de jure non præsumenda; Tertiò repetitio substitutionis in-
ter institutorum hæredes, successores, & descendentes;
Quartò qualitas testatoris non multum periti, ut in specie
suppletionis observat Fusar. *d. quæst.* 284. *num fin.* Quintò eis-
dem omnibus in perpetuum prohibita alienatio cum disposi-
tione perpetuæ permanentiæ in ejus familia, & successori-
bus sub affectione fideicommissi, cùm hæc sola dispositio
sit apta ad inducendum novum fideicommissum, dum non
stat accessoriè, & per viam simplicis rationis, sed per viam
principalis dispositionis, ut infra; Quare prædictis omni-
bus insimul consideratis, attentoque toto contextu disposi-
tionis, impossibile videtur, quòd testator tam summo stu-
dio ordinare voluerit substitutionem, ita de facili, ac brevi
tempore expirandam, quòd ad alios effectus benè conside-
ratur in Bonon. fideicommissi de Guidottis 24. Januarii
1648. coram Arguelles; Decisiones autem 19. *part.* 1. 168.
& 348. par. 6. *recen.* procedunt regulariter, & ubi contraria
disponentis voluntas non urget.

Quoad secundum, regula videtur pro exclusione reci-
6 procæ de linea ad lineam, itaut ea intelligatur discretivè de
propriis filiis, ac descendentibus uniuscujusque lineę inter se,
ad quam comprobandam ex parte venientium ab intestato
allegantur Ruin. *cons.* 144. *n.* 4. *lib.* 2. Fusar. *cons.* 17. *nu.* 2. 72.
cum seq. & 94. Seraph. *dec.* 1023. *n.* 3. *&* 4. *&* 9. Merlin. *decis.*
798. *n.* 26. quibus addi possunt *decis.* 145. *n.* 5. *&* 6. *p.* 1. *rec.* Et
magis stringenter Odd. *cons.* 46. & Menoch. *cons.* 680. in eo-
dem casu consulentes Rot. *dec.* 287. *p.* 4. *rec. tom.* 2. *n.* 3. *& per
tot.* Terracinen. fideicom. de Pilorciis 3. Martii 1637. Ghis-
lerio impress. apud Redenasc. *cons.* 58. *n.* 117. Florentina, seu
Bonon. de Barbadoris 25. Junii 1640. Coccino, & 28. Ju-
nii 1641. Carillo *inter suas decis.* 190.

Verùm quamvis hæc regula sit vera, attamen fallit, 7
quando, vel ex conjecturis, vel ex verborum contextu, seu
aliis conjecturis constat, testatorem voluisse inducere reci-
procam inter omnes descendentes, etiam de una linea ad
aliam; Ad quòd pro parte venientium ad fideicommissum
allegantur Decis. *consil.* 515. *num.* 1. *&* 2. Menoch. *cons.* 895.
num. 11. *cum seq.* Coccin. *decis.* 493. *num.* 10. Rot. *decis.* 335.
num. 3. *par.* 3. *rec.* in Tiburtina Terrarum 4. Februarii 1628.
Remboldo, Quibus addi possunt decisiones in Terracin.
fideicommissi de Pilorciis 15. Maij 1648. Ghislerio *dec.* 183.
par. 10. *recent.* & in eadem apud Ottbobon. *dec.* 177. Bonon.
fideicommissi de Guidottis 24. Januarii, & 1. Junii 1648. 23.
Januarii, & 7. Junii 1649. Arguell. benè in Beneventana suc-
cessionis 13. Martii 1653. Bichio, Romana, seu Urbevetana
successionis 28. Januarii 1658. Albergato *dec.* 366. *part.*
12. *recent.* & in aliis in hac ultima cumulatis; Et licèt ista
loquatur de reciproca inter personas ejusdem linee, tamen
firmatur dicta limitatio generalis etiam de linea ad lineam,
prout est in dictis Benevantana, Terracinen. Bonon. &
aliis, *&c.*

In casu, de quo agitur, videntur esse in casu limitationis 8
potiùs quàm regulæ, quia testator post ordinatam expres-
sam reciprocam inter filios primò institutos subjunxit; *Et
ita etiam inter eorum hæredes, & successores servandum sit,
&c.* Dicta enim dictio, *& ita etiam*, denotat clarè repetitio-
nem ejusdem reciprocæ perinde ac si denuò inter istos alia
reciproca ordinata esset, ut de vocatione aliorum descen-
dentium per dictionem, *necnon*, in dicta Romana, seu Ur-
bevetana successionis coram Albergato, *edita in causa de
qua disc. seq.* & de dictione, *cum*, in d. Beneventana coram
Bichio, in quibus tota vis constituitur in qualitate dictionis
conjunctivæ, & tamen in casu nostro adest nedum conjun-
ctiva, sed etiam repetitiva.

His accedit prohibitio alienationis cum dispositione, ut
bona semper, & in perpetuum permaneant in ejus familia
& successoribus; Nihil obstante, quòd ista ratio tanquam
consecutiva, seu famulativa intelligenda veniat ad limites
prioris substitutionis, Tam quia si non sufficit ad inducen-
dum novum fideicommissum, satis tamen attendi debet ad
interpretandum fideicommissum antecedenter ordinatum,
ut deducitur in dicta Romana, seu Urbevetana *disc. seqq.*
Tum etiam quia permanentia bonorum in familia, & de-
scendentibus non est per viam rationis cum dictione, *quia*,
sed per viam dispositionis cum dictione, *sed*, ibi, *sed semper
dicta bona permanere, &c.* Ac etiam fortiter talem volunta-
tem ostendere videntur illa alia subsequentia verba, *& eis
subjecta per fideicommissum*, ex quibus constat, onus non esse
adjectum personis, sed bonis, ac esse fideicommissum reale,
quia testator voluit bona esse descendentibus subjecta per
fideicommissum, ut consideratur *in d. dec.* 335. *n.* 3. *p.* 3. *rec.*
Eo magis quia sumus in testamento facto in parvo loco
à persona non multum literata, Unde magis ad substantiam
ejus verisimilis voluntatis est reflectendum, quàm ad cor-
ticem verborum, ac verè voluntas testatoris conservandi
bona in omnibus descendentibus videtur clara.

Quoad tertium punctum detractionum, videtur etiam
contra hæredes gravati respondendum, quia cùm nullum
confectum fuerit inventarium, atque nunc non agatur de
restitutione universæ hæreditatis, sed bonorum stabilium
tantùm, in quibus testator particularem adjecit prohibitio-
nem cum dispositione conservationis illorum in familia, &
descendentibus, necnon ex testamento constet in hæredita-
te remansisse multa animalia vaccina, & caprina, aliaque
mobilia, ac etiam loca montium, ex his detractiones dicun- 9
tur satisfactæ, ut in puncto consideratur in Romana de Vi-
ctoriis coram Merlino *decis.* 47. *p.* 5. *rec.* & in multis aliis,
quæ deduci possunt; Atque *d. decis.* 47. fideicommissum in
casu mortis est universale, sed prohibitio alienationis re-
stricta est ad stabilia juxta individuales terminos nostros,
Maximè quia non agitur contra tertium possessorem, atque
ad rescindendam alienationem jam tertio factam sub nomi-
ne detractionum, quo casu opus esset firmare statum hære-
ditatis, sed agitur contra hæredem ipsius gravati, contra

quem deficiente inventario, & data aliquorum bonorum alienatione, intrat præsumptio consumptionis, etiamsi alienationes non essent magnæ, juxta distinctionem, de qua in notissima Perusina Bonorum 30. Maji 1650. coram Cerro *decis.* 33. *par.* 11. *rec.* in Bonon. fideicommissi Jo. Mariæ de Bolognini 16. Novembris 1655. coram eodem, & sæpè in sua materia *sub tit. de detractionibus*.

Et ideò censeo partes Gubernatoris Scrofani esse debere in absolvendo præfatos Franciscum, & Constantinum ab imperitis per dictos hæredes Jacobi Antonii respectu bonorum stabilium remansorum in hæreditate Tarquinii tantum, & in confirmando possessionem in dictis bonis stabilibus in vim dicti fideicommissi, salvo jure detractionum post firmatum statum hæreditatis à dictis hæredibus illas prætendentibus.

ROMANA, SEU URBEVETANA SUCCESSIONIS
PRO
CATHARINA ARDICCIONA
CUM
HERCULE MISSINO.

Casus decisus per Rotam pro Catharina.

De eadem materia reciprocæ linearis, & de differentia inter unam, vel plures lineas ab initio constitutas.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De exclusione reciprocæ linearis.*
3 *Statutum exclusivum fœminarum cessat ex contraria testatoris voluntate.*
4 *Dictio* necnon *copulat, & omnes conjungit, & idem de dictione* cum.
5 *Quod reciproca linearis inducatur ex conjecturis etiam sine requisitis.*
6 *Ponderantur conjecturæ.*
7 *Datur distinctio inter plures lineas ab initio constitutas, vel ubi est unica.*
8 *An, & quando ex dispositis in casu delicti inferatur ad casum mortis.*

DISC. CIV.

1 LIcinia, institutis quatuor filiis ex duplici matrimonio susceptis, nempè Francisco, Livia, & Julia ex primo, & Octavio ex secundo, eis quandocumque sine filiis legitimis, & naturalibus decedentibus, vel eorum altero, ad favorem superstitum reciprocam substitutionem injunxit, necnon nepotes, pronepotes, ac descendentes, & successores quoscumque substituit, adjecta prohibitione alienationis, & confiscationis, in qua rationem adjecit perpetuæ conservationis bonorum inter ejus descendentes, & de sanguine, itaut eis existentibus, ad alienas manus bona devenire non possent.

Ex Livia, penes quam per aliorum mortem sine filiis, bona in toto, vel in parte consolidata erant, superstites fuerunt Nicolaus, & Catharina, quæ dote contenta totum de paternis, maternis, & avitis fratri renunciavit; Cùmque contigisset casus mortis absque prole Barbaræ ex Nicolao defuncto superstitis, scripto hærede Hercule Missino extraneo; Hinc proinde Catharina prætendens factum esse casum dictæ substitutionis in bonis dictæ testatricis, judicium instituit contra dictum Missinum possessorem, & introducta causa in Rota coram Albergato, duplex erat rei conventi exceptio; Una renunciationis per dictam Catharinam factæ ad favorem Nicolai, ejusque hæredum, sub quorum nomine ipse venire debebat, cujus inspectio suspensa fuit, ac alteri particulari disputationi reservata; Et altera non existentiæ fideicommissi in portione dicti Nicolai; Quamvis enim reciproca esset literalis, eam tamen dicebant pro
2 eo scribentes, intelligendam esse discretivè, & inter descendentes cujuslibet ex eis, non autem de una linea ad alteram juxta cons. Odd. 46. Menoch. *cons.* 680. Seraph. *decis.* 1023. cum aliis super hujusmodi conclusione satis frequenter ad hanc materiam insinuatis, præsertim in proximè præcedentibus.

Et licèt agnoscerent, stante Statuto Urbis vocante filios in conditione positos, substitutionis durationem in Nicolao & Catharina, Dicebant tamen dictam vocationem ultra non progredi ex regula, quòd ex vocatione activa non inferitur ad passivam, quodque filii licèt ex Statuto vocati, non tamen censentur gravati, ut est pariter recepta, & sæpius insinuata conclusio; Atque hinc inferebant ad libertatem bonorum, tam in portione Barbaræ est Nicolao superstitis, quàm etiam Catharinæ, cujus portio ad ejusdem Nicolai hæredes jure renunciationis pertinebat.

Pro Catharina scribens, distinguendo portiones, Quatenus pertinet ad illam ipsius actricis, dicebam eam esse in- 3
dubitatum, ut etiam per alteram partem, circumscripta renunciatione, non negabatur, dum ex Statuto vocata erat tanquam in conditione posita, non obstante altero Statuto exclusivo fœminarum propter masculos in testamentariis etiam successionibus cum ipso Statuto compatibilibus locum habente, quoniam id procedit non refragante testatoris voluntate, cui Statutum exclusivum semper cedit, Castrens. *cons.* 52. *num.* 2. *lib.* 1. Gregor. *decis.* 358. *n.* 1. *cum seq.* Spoletana bonorum 13. Aprilis 1646. coram Corrado *post Censal. ad Peregr. decis.* 34. & in aliis frequenter, quoniam data incompatibilitate est conclusio non admittens amplius controversiam, ideoque totum pendebat ab obstantia renunciationis, de qua in hac eadem causa *sub tit. de renunciat.*

Quoverò ad alteram portionem ipsius Nicolai, ubi etiam ipse de diversa linea esset quàm Catharina, adhuc tamen ad favorem actricis dicebam intrare reciprocam à testatore ordinatam, tam inter filios primi gradus, quàm inter omnes nepotes, pronepotes, & descendentes vocatos, cum dictione, *necnon*, quæ habet vim copulæ, atque omnes qualitates præcedentes repetit Barbos. *dictione* 209. Cæsar. de Grass. *decis.* 1. *num.* 5. *de reb. Eccles. non alien.* Rot. *dec.* 791. *num.* 2. *part.* 1. *divers.* Ideoque omnes conjungit, perinde ac si reciproca in omnibus nominatim expressa, & repetita esset, eo modo, quo in filiis primi gradus expressa fuit Altograd. *cons.* 54. *num.* 4. *lib.* 1. & benè in terminis consimilis dictionis, *cum*, in Beneventana successionis 13. Martii 1654. coram Bichio, unde propterea non videbatur opus recurrere ad alias conjecturas, cùm ita dispositio esset verbalis.

Et nihilominus ubi aliqua superesse posset difficultas, illam penitus tolli dicebam ex aliis conjecturis, & circum- 5
stantiis, ex quibus etiam sine positivo concursu trium vulgarium requisitorum hodie receptum est induci reciprocam linearem, in allegata Beneventana successionis coram Bichio, in Romana fideicommissi de Zephiris 4. Julii 1646. & 8. Februarii 1647. *dec.* 18. *p.* 10. *coram eodem*, & habetur deductum in Bonon. bonorum *disc.* 100. & in aliis proximè præcedentibus; Præsertim verò ubi agitur de dispositione ascendentis favore descendentium, quo casu facilius dicta reciproca admittitur, atque leviores sufficiunt conjecturæ, quàm in dispositione transversalis, in qua etiam conclusio procedit, licèt urgentiores conjecturæ desiderentur, ut in specie fideicommissi transversalis habetur in Terracinen. fideicommissi de Pilorciis 15. Maji 1648. coram Ghislerio *decis.* 183. *p.* 10. *rec. confirmata apud Orthob. decis.* 177.

Conjecturæ autem erant urgentes, præsertim ex illis testamenti verbis, *de manu in manum semper ordine in succe-* 6
dendo servato, ex quibus clarè demonstrari dicebam testatoris voluntatem super perpetua successione de uno in alium usque ad ultimum; Et clarius ex subsequenti dispositione in casu delicti, in quo literaliter ejus voluntatem explicavit conservandi bona in suis hæredibus, nepotibus, pronepotibus, ac posteris, & descendentibus in infinitum ut supra vocatis, eo addito, ut delinquens eo ipso privatus sit, eique auferantur bona, & ad ea admittitur, qui aliàs fuisset admissurus, si qui delictum commisit, naturaliter fuisset mortuus.

Ex hoc enim disponendi modo dicebam, non conjecturalem, sed literalem, ac expressam dispositionem resultare, Tum ab explicata voluntate, ut bona perpetuò, ac omni futuro tempore in posteris, ac descendentibus permaneant; Tum fortius ab illis verbis, *ut supra vocatis*, quæ præsupponunt præcedentem vocationem; Ac etiam ex illis aliis verbis, quòd ad bona delinquentis admittatur ille, qui fuisset aliàs admissurus, si delinquens fuisset naturaliter mortuus, idèoque præsupposuit præcedentem substitutionem in universa descendentia etiam in casu mortis; Addendo etiam strictam prohibitionem alienationis cum eadem repetita ratione conservationis bonorum in descendentibus, itaut etiam si ageretur de transitu ab una linea ad alteram, adhuc dicebam casum planum videri.

Verùm insinuabam, quòd versabamur extra terminos istius quæstionis, verè cadentis, ubi testator, vel concedens ab initio plures lineas constituit, quia nempè plures instituerit propriarum linearum stipites, ac separatas lineas constituituros, atque agatur de faciendo transire bona de una linea ad alteram diversam, qui est propriè casus quæstionis in proposito non cadentis, cùm ageretur de reciproca inter personas ejusdem lineæ constitutæ per Liviam Nicolai, &
7 Catharinæ matrem; Dato enim unico stipite, quamvis inter ejusdem descendentes plures lineæ dividantur, attamen ad effectum de quo agitur, dicitur unica, atque omnes, quamvis in diversos ramos, seu colonnellos divisi, unam, eamdemque lineam constituere dicuntur, juxta communem, ac receptam distinctionem feudistarum, de qua *in cap.* 1. *de duobus fratribus*, & pluries in aliis ad hanc materiam, ac cæteris allegatis advertit Sperell. *dec.* 152. *n.* 29.

Replicabant scribentes pro reo, quòd ex verbis contentis in prohibitione confiscationis nullum argumentum de-
8 sumi poterat ex regula, quòd à fideicommisso in casu delicti non licet arguere ad fideicommissum in casu mortis, ex deductis apud Orthobonum *decis.* 258. & *decis.* 238. *par.* 11. *recent.* Admittebam verò conclusionem, quoties ageretur ad effectum deducendi ex uno fideicommisso alterum omninò novum, & dispositivum, secus autem ubi agitur ad effectum declarandi, seu interpretandi præcedentem dispositionem, quia rectè licet ab una testamenti parte alteram interpretari, ut in specie respondendo huic objecto benè firmatur in Camerinen. bonorum 3. Junii 1654. coram Bichio, sæpiùs deinde in aliis canonizata, cùm sit propositio, juris, ac rationis solidum fundamentum habens; Ultra quod cum eadem distinctione, quæ ex vulgato cons. Dec. 636. habetur circa rationem prohibitioni alienationis adjectam, 4
tunc ex dispositione in casu delicti inferri non potest ad casum mortis, quando conservatio, seu permanentia bonorum in descendentibus adjecta esset per modum rationis, secus autem ubi per viam principalis dispositionis, cùm tunc tanquam ex voluntate sic præsuppositivè explicata fideicommissum purum in casu mortis etiam resultat, ut ex Curtio juniore *cons.* 145. & aliis Rota *decis.* 121. *num.* 3. *p.* 2. *divers.* & juxta præmissa 28. Januarii 1658. pro actrice resolutum fuit, sed convolatum ad punctum renunciationis, 5
de quo *in sua materia sub tit. de renunciat. dictaque decisio est impress. part.* 12. *recent. dec.* 306.

FIRMANA FIDEICOMMISSI DE MANARDIS
PRO
MANARDIS
CUM
PICUCCIIS.

Casus disputatus coram A. C. & resolutus pro Manardis.

De eadem materia reciprocæ linearis, & præsertim ubi illa concepta est in numero singulari, puta, *Et si unus &c.* An conveniat omnibus, ac resolvatur in pluralitatem.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Substitutio facta uni an intelligatur discretive in omnibus, & de verbo*, & si unus.
3 *De reciproca linearis ex conjecturis etiam sine tribus requisitis.*
4 *De acquisitionibus factis per gravatum de bonis hæreditariis, ad quem pertineant.*

DISC. CV.

1 MAndricardus, hæredes instituit quatuor filios masculos cum perpetuo reciproco fideicommisso inter eos eorumque filios, & descendentes, ac strictissima prohibitione alienationis, sæpiùs repetita ratione conservationis bonorum in agnatione, & familia, prohibitis quibuscumque detractionibus etiam legitimæ cum cautela nuncupata *Soccini*. Cùmque ex dictis filiis primò decesserit Alfonsus absque prole, unde omnia bona in tribus superstitibus consolidata sunt, decessit secundo loco Nuntius superstitibus Cæsare, & Francisco, deinde verò etiam absque prole decesserunt reliqui duo, quorum successionem, tam ex fideicommisso, quàm ab intestato agnoverunt præfati Cæsar, & Franciscus, atque post diuturnam pacificam possessionem annorum circiter viginti, insurrexerunt Volunnius, & cæteri de Picucciis eorumdem Joannis Antonii, & Raphaelis ex Maria sorore nepotes, prætendentes eis etiam prædicto rum intestatam successionem de jure debitam esse.

Et introducta causa coram A. C. me pro Manardis scribente, istorum favore lata fuit sententia absolutoria ex tribus fundamentis actores excludentibus; Primò nempè ex fideicommisso in bonis à præfato testatore provenientibus; Secundò autem, & tertiò in bonis propriis defunctorum ex Statuto Amandolæ excludente cognatos propter agnatos usque ad secundum gradum de jure canonico inclusivè, atque ex renunciatione Mariæ Joannæ actorum matris; Introductaque causa in Rota coram Bevilaqua, Rota in exclusionem actorum, suspensis aliis duobus motivis fideicommissi, & renunciationis, se restrinxit ad dictam exclusionem statutariam in qua variavit, ex deductis in hac eadem causa *sub titulo de successionibus*. Major autem, ac penè totus controversiæ effectus consistebat in fideicommisso, ad quod ferè omnia bona spectabant, absque aliqua detractione etiam legitimæ, Atque si quæ apparebant bona defunctorum libera ab eis quæsita, in pluribus censibus præsertim consistentia, adhuc tamen fideicommissaria censenda erant, utpotè ex pecuniis fideicommissariis quæsita, ut in facto per causæ Patronum pro constanti supponebatur.

Quatenus igitur ad hunc fideicommissi punctum pertinet, potius coram A. C. quàm in Rota, pro actoribus scribentes dicebant, quod licet per testatorem literaliter inter filios institutos reciproca substitutio adesset expressa in illis verbis, *Quos ore proprio instituit, &c. & post eorum mortem. Et in uniuscujuscumque portione substituit uniuscujusque filios liberos, & descendentes masculos legitimos, & naturales de uno in alium usque in infinitum, & invicem, & reciprocè activè, & passivè, ordine successivo, &c.* Attamen id intelligendum erat discretivè inter cujuslibet primi vocati filios, & descendentes juxta *decis.* 1023. *Seraph.*

Hoc verò ex parte reorum conventorum non negabatur regulariter procedere; Dicebam tamen, quæstionem removeri ex facto, dum testator post hujusmodi reciprocam inter cujuslibet filios, & descendentes discretivè ordinatam, ad aliam processerat substitutionem reciprocam linearem in illis verbis, *Et si unus dictorum ejus filiorum, vel unius filii liberi, & descendentes masculi in infinitum decesserint sine filiis liberis, & descendentibus legitimis, & naturalibus substituit alium, & alios dictos ejus filios, & illius, ac illorum filios liberos, & descendentes legitimos, & naturales de uno in alium in infinitum, & invicem, & reciprocè, activè, & passivè ordine successivo vulgariter, & per fideicommissum*. Ex quibus verbis, stante præsertim præcedenti dispositione super reciproca discretiva, resultabat alia reciproca linearis expressa.

Non negabatur hoc ex parte actorum, sed solùm dicebatur, quod cùm hæc dispositio restricta esset ad unum tantùm morientem, ut liquet ex illis verbis, *Et si unus dictorum si-* 2
liorum, vel unius filii, &c. illaque jam effectum sortita fuerit in Alphonso primo moriente, hinc inferebatur quod in reliquis substitutio linearis expirasset ex deductis per Pereg. ita in facti contingentia obtinuisse testantem *de fideicommissis, art.* 28. *n.* 22. & *seqq.* de quo Fusar. *q.* 437. *n.* 246. Felic. *alleg.* 14. *n.* 190. & *seqq. part.* 3.

Facilem tamen objecti solutionem dicebam, ex satis punctuali authoritate Rotæ in Romana fideicommissi de Quinque coram Pirovano impress. post Fenzon. ad Statut. Urbis *decis.* 103. ubi examinando in specie prædictam Peregr. authoritatem, ac referendo ejus casum, dicitur eam in suo casu rectè procedere, in quo institutis duobus, ac facta substitutione sub hac dispositione, *Si unus*, defecto primo, & purificata in superstite substitutione, in isto tanquam ulterius non gravato bona remanent libera; Secus autem ubi agitur de dispositione generali cum pluribus personarum ordinibus, seu generibus, quia tunc illa verba, *Si unus*, denotant discretivam dispositionem in singulis deficientibus, toties quoties casus evenerit, cùm verisimiliter cogitari non possit casus deficientiæ plurium eodem tempore; Et sic numerus singularis resolvitur in pluralitatem singulariter, & discretivè verificandam, ideòque omnes sub tali dispositione usque ad ultimum omnium linearum comprehensi censentur, ut admittere videtur idem Peregr. *d. art.* 28. *n.* 24. atque declarando eumdem observant Fusar. *cons.* 144. *n.* 14. & *seqq.* & optimè Rota apud Fenzon. *loco citato*.

Clarius, quia ubi etiam dicta verba reciprocam linearem inducentia non adessent; Adhuc tamen eadem subintelligenda esset ex conjecturis, ex quibus hodie præsertim inter 3
descendentes receptum est illam etiam sine tribus consuetis requisitis induci ex deductis apud Otthobon. *decis.* 177. & in Bonon. bonorum 27. Januarii 1662. coram Albergato, & frequenter ad hanc materiam reciprocæ linearis.

Conjecturæ autem videbantur nimis claræ, manifestam

redolentes voluntatem, nedum ex reciproca primo loco ordinata, sed etiam ex prohibitione alienationis, & ex altera prohibitione detractionum, etiam legitimæ cum strictissima cautela Socini, ac demùm ex dispositione in casu delicti repetita semper cum verbis nimis amplis, & effrænatis, ratione ac enixa voluntate perpetuæ conservationis bonorum integrè, & sine aliqua diminutione in agnatione, & familia, unde propterea videbatur voluntas clara incapax disputationis.

Quoverò ad qualitatem bonorum, quamvis plures census per ipsos gravatos acquisiti essent, atque ego admitterem
4 propositionem, hodie in foro pro regula receptam, ut acquisitiones factæ nomine proprio per gravatum suæ sint, ac sibi acquirantur, quamvis de pecuniis hæreditariis, in quarum restitutione tantùm debitor remanere dicitur, ad sui commodum, vel periculum acquisitione cedente, ut infra *disc.* 177. cum ibi proximis; Inanem tamen dicebam hujus inspectionis effectum, vel ex ejusdem regulæ recepta limitatione, quoties testatoris præceptum accedit de investiendis pecuniis hæreditariis, cùm tunc præsumptio sit sub nomine hæreditatis acquisitionem factam esse, quamvis pro se ejusque hæredibus cantet ex firmatis *decis.* 38. *n.* 1. *& seqq. par.* 9. *rec.* in Catacen. hæreditatis 28. Aprilis 1653. Cerro *dec.* 308. *par.* 11. *rec.* edita in causa, de quà *d. disc.* 177. Vel quia in omnem eventum gravati remanerent debitores pro reintegratione fideicommissi in pecuniis obeuntis ex censuum hereditariorum extinctionibus, pro quibus tanquam liquidis, & certis competebat retentio, quæ indubitatè intrat, quoties objectum illiquiditatis non obstat, ex deductis supra in Fulginatensi fideicommissi *disc.* 73. & in aliis, unde effectus erat idem.

ROMANA PALATII DE CAPRANICA
PRO
BARTHOLOMÆO, ET ALIIS DE CAPRANICA
CUM
MONASTERIO PURIFICATIONIS.

Casus decisus per Rotam pro Capranicis, postea concordatus.

De reciproca contenta in dispositione vocante ab initio plures personas plures diversas lineas constitutas, An intelligatur discretivè inter descendentes cujuslibet lineæ, non autem de linea ad lineam, vel potius etiam isto secundo modo ob rei individuitatem, vel quia disponens consideraverit omnes tanquam de uno genere, seu linea.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Objecta, seu rationes dubitandi.*
4 *Possessio præsumitur ex titulo præambulo, de quo constat.*
5 *Qualis sit vera probatio descendentiæ, seu legitimationis personarum, & quod illa per scripturas, vel testes in antiquis sit fallax.*
6 *Fideicommissario competit immissio* ex remed. d. l. fin. *vel ex Salviano.*
7 *Declaratur ubi fideicommissum est per ultimam voluntatem, secus si per actum inter vivos, & de ratione differentiæ.*
8 *Constitutum expirat in primo, & non suffragatur successoribus.*
9 *Concessio Principis transfert dominium, & possessionem etiam sine traditione.*
10 *Ex investitura, vel concessione Principis competit immissio ad instar* l. fin. &c.
11 *&* 12 *De regulis, seu conclusionibus in materia reciprocæ linearis.*
13 *Declaratur conclusio de reciproca intelligenda discretivè in pluribus lineis ab initio constitutis.*
14 *De fideicommisso facto ad favorem familiæ, quæ consideretur tanquam unum corpus sine distinctione linearum.*
15 *Qui declarat non disponit, sed quid dispositum sit aperit.*
16 *De circumstantiis denotantibus fideicommissi, vel dispositionis individuitatem, ob quam non datur distinctio linearum, vel graduum, & non intrat ordo successorius, sed potius quoddam jus non decrescendi.*
17 *De differentia inter unam, & alteram speciem reciprocæ linearis ad diversos effectus.*

DISC. CVI.

CUm Cardinalis Dominicus de Capranica in ejus testamento mandasset in proprio palatio posito in platea, quæ de Capranica nuncupatur erigi Collegium Scholarum, Cardinalis verò Angelus ejus germanus frater, & hæres cuperet idem Palatium ab ipso ampliatum, ampliandum, utpotè attenta illorum temporum conditione conspicuum, relinquere nepotibus, eorumque descendentibus, ut in familia in perpetuum conservaretur; Hinc proinde constructo quodam adjacenti ædificio congruo pro dicto Collegio, obtinuit à Sixto IV. præfatæ voluntatis testatoris commutationem in quadam forma extraordinaria magis tuta, quod scilicet ipse Pontifex avocando ad se dicti Palatii dominium, illud per literas Apostolicas concessit præfato Cardinali Angelo, ejusque familiæ, & agnationi, juxta illum successionis ordinem, quem ipsemet Angelus declararet, ac disponeret; In quarum literarum exequutionem Angelus prædictus per publicum instrumentum declaravit post ejus mortem in dicto palatio successores, Joannem Baptistam ex Juliano, Antonium ex Joanne, & Agabitum ex Bartholomæo fratribus prædefunctis nepotes, eorumque filios, nepotes, posteros, & successores in perpetuum, de domo, & familia, extra quam illud alienari, vel exire non posset, concedendo etiam eisdem aliquas præeminentias super dicto Collegio.

Defecta verò ad breve tempus linea Joannis Baptistæ in Juliano juniore ejus filio, palatium prædictum totum consolidatum fuit in duabus aliis superstitibus lineis Agabiti, & Antonii, defunctoque postmodum sine prole masculina Stephano d. Antonii ex Petro filio nepote, superstitibus Claudia, & Gentilesca filiabus, contra istas super dicti palatii portione ab earum patre possessa, judicium instituit in Rota Camillus dicti Agabiti ex Bartholomæo secundo filio nepos; Verùm sequuta præfati Camilli morte, causa diuturnum silentium passa est, usque quo mortuis tam dictis Claudia, & Gentilesca, quàm Didaco de Cinquinis Claudiæ filio absque alia prole, Bartholomæus, Hiacynthus, Carolus, Ignatius, & Aloysius dicti Camilli abnepotes, atque ex Angelo Camilli filio descendentes, dicebant antiquam litem in Rota jam pendentem instaurarunt, seu verius aliam ex integro introduxerunt in judicio immissionis coram Cerro contra Monasterium Purificationis præfati Didaci hæredem, datoque dubio, *An actoribus danda esset immissio*, in ejus secunda propositione sub die 6. Martii 1665. affirmativa prodiit resolutio, cui Monasterii administratores prudenter acquieverunt, contenti per concordiam remissione fructuum lite pendente perceptorum, ac expensarum litis, atque ita præsens causa finem habuit.

In duabus igitur disputationibus desuper in Rota habitis, quatuor ex parte Monasterii rei conventi, ac possessoris ad repellendos actores deducebantur objecta; Primò scilicet defectus probatæ identitatis, quod controversia palatii portio fuerit dictorum Cardinalium, atque sub præfata dispositione contineretur; Secundò defectus legitimationis personarum, quod scilicet actores non benè concluderent eorum descendentiam à præfato Agabito; Tertiò incompetentia interdicti possessorii adipiscendæ, quod vulgò in Curia *immissionis* dicimus, dum non agebatur de fideicommisso ordinato per ultimam voluntatem, sed per contractum; Et quartò demum deficientia ipsius fideicommissi, quodque ista portio in ultimo de dicta linea, tanquam ex cessante reciproca lineari, effecta esset libera.

Primum objectum nullam habuit inspectionem juris, atque de facili in facto superatum fuit per concludentes probationes ipsamque rei evidentiam, unde satis modicam, imò ferè nullam habuit difficultatem; Alter punctus legitimationis personarum pariter consistebat in puro facto, in quo satis benè, & concludenter per gradus distinctos probata fuit legitima descendentia actorum à præfato Agabito, & Bartholomæo juniore ejusdem Agabiti filio; Atq; benè concludentibus probationibus resultantibus ab instrumentis publicis, & actis judicialibus, aliisque authenticis documentis, & testibus in causæ decisione enuntiatis; Addebam ego meliorem probationem resultantem ab ipso facto, quod scilicet actores eorumque majores fuissent, ac essent actuales possessores alterius portionis dicti palatii, nec non aliquarum præeminentiarum in dicto Collegio, absque eo, quod nec quidem fumus daretur diversi tituli; Ideòque dicebam intrare regulam desumptam ex textu *in l.* 2. *C. de acquirenda possess.*

de qua

de qua cæteris relatis, Alciat. *regul.* 2. *præsumpt.* 23. Buratt. & Adden. *decis.* 614. ut possessio præsumatur ex titulo præambulo, dum de alio non constat; Quæ regula fortius procedit in iis, qui sunt descendentes, sive de eadem domo, & familia, juxta celebr. ac receptum *cons.* 145. *Fulgosii.*

Et quidem, ut ego sæpiùs in proposito probationis nobilitatis expertus sum, aliæ species probationis per antiqua privilegia, vel instrumenta, aliaque documenta, quæ in Archiviis reperiantur, de facili sunt fallaces, ac mendosæ, utpotè, imitando formam antiquam de recenti conficta, atque in Archiviis authenticis, & probatis inter scripturas antiquas studiosè reposita, sive quod sunt vera, sed falsitas consistit in applicatione ad personas, à quibus hujusmodi vanitatum stulti affectatores sæpiùs ad statum irrisionis devenientes descendere dicant, majorque fallacia resultat à probationibus per testes; Magis ergo certa existimatur illa, quæ resultat ab actuali possessione Castrorum, seu palatiorum, aliorumque antiquorum bonorum, quoties concurrunt familiæ identitas, & communis reputatio, atque non urgent contrariæ probationes obventionis ex diverso recenti titulo, quod etiam non semel sum expertus, quod scilicet aliqui ordinis popularis casualiter habentes idem cognomen, quod aliqua antiqua conspicua familia adhibere consuevit, ex fortunæ beneficio ad meliorem statum redacti, non solum plantaverunt magnos arbores cum quibus demonstretur familiæ identitas, ac directa descendentia probetur, cum antiquis instrumentis, & documentis, itaut suprà de recenti confictis, eo modo quo moderni plectores fata benè confingunt antiquas tabulas *Titiani*, & *Raphaelis*, sed etiam acquirendo illa Castra, & bona, quæ per dictam antiquam familiam possessa fuerunt.

Juris igitur inspectiones cadebant super tertio puncto ordinis judicii, seu competentia intentati remedii immissionis, & super quarto justitiæ, seu existentiæ, ac durationis fideicommissi; Quatenus ergo pertinet ad tertium, scri-
6 bentes pro Monasterio reo convento non negabant, ut quidquid in ratione disputativa, seu scholastica dici valeat, fideicommissario sive sit primus, sive ulterior, juxta opinionem in praxi receptam, & quotidianam, competat hoc adipiscendæ interdictum, quod *immissionis* dicimus, vel
7 *ex remed. l. fin. C. de edicto D. Adr. toll.* vel ex remedio Salviani, tanquam ex legato; Dicebant tamen id procedere ubi agitur de fideicommisso ordinato per ultimam voluntatem, secus autem, ubi per actum inter vivos ex ea differentiæ ratione, quod per ultimam voluntatem ex judicio testatoris, dominium absque necessitate traditionis transfertur in eos, ad quos ipse voluit bona transferri, unde solum requiritur apprehensio possessionis; Non sic est in actibus inter vivos, in quibus dominium non tranfertur sine traditione, & consequenter illa non sequuta non datur rei vindicatio, vel aliud remedium reale, seu rei persequutorium; Solumque, ubi disponens per contractum adjecit hypothecam pro illius observantia, competit hypothecaria, vel Salvianum pro dictæ hypothecæ observantia primo donatario pro contractus effectuatione, qua sequuta, cùm ita eadem hypotheca consumpta sit, suumque sortita fuerit effectum in primo donatario, hinc proinde eam non habeat secundus, cùm tunc nulla adsit hypotheca super restitutione ab uno donatario alteri facienda, ideòque non competit nisi actio personalis pro observantia voluntatis donatoris, & consequenter intrare non possunt hæc remedia realia, seu rei persequutoria, ut cæteris relatis probant Giovagn. *cons.* 34.
8 *lib.* 2. Ger. Spin. *cons.* 53. Merend. *lib.* 7. *contr.* 45. Ideòque etiam in casu quo primus donator adjiciat, nedum hypothecam, sed etiam clausulam constituti, ut illa suffragetur tantùm primo donatario, non autem ulterioribus, utpotè jam consumpta, & expirata, habetur deductum in hac Romana fideicommissi de Cesis *disc.* 134. multò magis in hac facti specie, in qua neque aderat primi donatoris hypotheca.

Pro isto objecto evitando, Alii pro hac parte scribentes constituebant fundamentum in motivo nudi facti, quod amplecti etiam visa est Rota; quod scilicet adesset hypotheca apposita per ipsos donatarios primos, vel secundos rei conventi authores mediatos super observantiam dictæ donationis in quodam instrumento divisionis.

Quidquid autem esset de subsistentia istius motivi, quod ex facti serie, ac circumstantiis non omninò tutum videbatur, ac etiam de dicta propositione Ger. Spini & Giovagnoni, de qua habetur particulariter actum in Romana donationis de Jordanis *sub tit. de donat.* Ego, etiam in sensu veritatis, dicebam difficultatem in proposito cessare, cùm non agereturde concessione per actum inter vivos facta per privatum, in quibus terminis intrat difficultas, sed ageretur de concessione, quę directè ac immediatè toti familiæ facta fuit per Papam supremum Principem, per cujus concessionem, etiam sine traditione, transferri dicuntur dominium, & pos-
9 sessio ex deductis per Rovit. *decis.* 82. *n.* 5. & per Rotam *dec.* 81. *n.* 5. *& 6. par.* 5. *rec.* Unde propterea intrat eadem ratio, ob quam receptum est dicta interdicta possessoria competere pro dispositione per ultimam voluntatem, Et consequen-
10 ter ex concessione, seu gratia Principis, sive ex investitura competit etiam immissio ex remedio *l. fin. C. de edict. Div. Adr.* seu adinstar ex deductis per Rotam *dec.* 585. *à num.* 17. *ad* 27. *p.* 5. *rec. dec.* 214. *n.* 6. *&* 9. *& dec.* 242. *n.* 3. *p.* 7.

Demùm verò, quoad ultimum punctum super meritis negotii principalis, ac duratione, & pertinentia fideicommis-
11 si, scribentes pro monasterio contendente de fideicommissi expiratione, ac bonorum libertate, duas deducebant conclusiones generaliter, ac in abstracto veras, quas dicebam ego non indigere tanta allegationum dote, quanta cum consueto legistarum improbo labore illis præbebatur, cùm hodie possunt præsupponi pro regula, solamque difficultatem recipiant, an ex facti qualitate, & circumstantiis convenlant, necne limitationes quibus subjacent, ut pluries habetur in præcedentibus ad hanc materiam reciprocæ linearis; Primò scil. quod cùm plures lineæ ab initio constitutæ fuerint in pluribus dicti Cardinalis nepotibus, idcircò reciproca in præfata donatione contenta, intelligenda veniebat discretivè in qualibet linea, non autem de linea ad lineam; Et secundò, quod cùm ageretur de dispositione transversalis, ubi etiam admittenda sit moderna vera conclusio; ut etiam sine explicito concursu trium vulgarium requisitorum detur reciproca linearis ex conjecturis, adhuc tamen istæ debeant esse nimium urgentes, & efficaces, cùm hæc sit differentia inter dispositionem ascendentis, & illam transversalis, vel ex tranei.

E converso autem cæteri scribentes pro hac parte, cum
12 quibus ego etiam procedebam, insistebant in præfatæ regulæ limitatione deducta præsertim ex contemplatione agnationis, ex qua juncta cum aliis conjecturis resultare reciprocam linearem etiam in dispositione transversalis, habetur in specie latè firmatum *dec.* 183. *p.* 10. *rec.* & in eadem causa apud Orthob. *dec.* 177. & in aliis frequenter; Atque super hoc magni habiti fuerunt labores hincinde, super conjecturarum efficacia, vel inefficacia respectivè cum magno cumulo allegationum.

Mihi verò videbatur hujus inspectionis necessitatem non adesse, cum id procedat in ea dispositione, quæ fieret ab
13 initio ad favorem plurium personarum nominibus appellativis, quæ vocatæ, atque consideratæ sint tanquam stipites plurium linearum ab ipsis constituendarum, qualis non erat casus noster, in quo Papa non distinxit personas, neque ad eas se restrinxit, sed palatium donavit toti familiæ in universum, unde propterea omnes de ipsa familia, sive ex una, sive ex altera linea, veniunt directè, & coæqualiter tanquam membra constituiva unius corporis, seu unius
14 personæ immaginariæ; Ut de fideicommisso relicto familiæ in genere habetur apud Peregr. *dec. Parav.* 111. & per Rot. *dec.* 83. *n.* 19. *p.* 9. *rec. & in aliis*, ac habemus satis frequens in materia jurispatronatus, pro una, vel pluribus familiis fundati.

Et quamvis Cardinalis Angelus distinxisset personas prædictorum trium nepotum ex tribus diversis fratribus, ita lineas distinguendo, unde propterea scribentes in contrarium dicebant, quod versaremur potius in dicta prima parte distinctionis, & super quo nimium insistebatur; Atta-
15 men etiam in sensu veritatis, dicebam objectum non subsistere, quoniam revera concessio palatii ad favorem universæ familiæ, directè, ac immediatè facta erat per ipsum Papam, per quem Cardinali Angelo concessa solùm fuit facultas declarandi personas, quæ dict. familiam constituerent, seu quibus hoc generale vocabulum convenire deberet, ne alii extranei, vel remoti ejusdem cognominis concursum prætendere possent, & sic est declaratio, quæ non importat dispositionem, quoniam qui declarat, non disponit, sed quid jam dispositum sit aperit, ad instar excutientis grana à spicis, juxta optimum text. *in l. adeò* 7. *ff. de acquir. rerum dominio.*

Multùm verò istam dispositionis unitatem suadebant duæ notabiles facti circumstantiæ, Una scil. resultans ab ipsius palatii structura individua ex oculari aspectu comprobata,
16 ob unitatem ingressus, & schalæ nobilis, necnon cortilis, & putei; Et altera quia Papa in dicta concessione considerat, quod existentia istius palatii in familia Cardinalis

fundatoris Collegii Scholarium satis influeret ad ejusdem Collegii bonorum regimen ob continuam ocularem superintendentiam illorum de familia, ergo exclusa fuit ad evidentiam mixtura extraneorum; Ac propterea ponderabam vocationem plurium nepotum eorumque descendentium, dictique palatii divisionem, referri solùm debere ad exercitium fruitionis, ac habitationis, ipsa rei substantia individua remanente, itaut facto casu defectæ lineæ, vel portionis, non intret ordo successorius, seu formalis transitus de linea ad lineam, sed potius per quandam speciem illius juris non decrescendi, quod datur in feudis individuis dignitatis, vel in jure patronatus, aliisque hujusmodi juribus juxta casum de quo in Mutinen. *sub tit. de feudis disc.* 8. ibi enim dicta satis conferunt ad rem.

Ponderando etiam, magnam esse differentiam inter illam rigorosam reciprocam linearem, quæ prætendatur per ma-
17 sculos unius lineæ, juxta casum de quo agitur, *d. dec.* 183. *par.* 10. *rec.* & apud Otthob. *dec.* 177. *cum similib.* in exclusionem fœminarum lineæ admissæ, & casum, in quo agatur de reciproca lineari post jam evacuatam unam lineam ad effectum impediendi transitum ad omninò extraneos verisimiliter abhorritos, utscil. longè facilius in hoc secundo casu dicta reciproca intret, quàm in primo; Ideòque non mirum si antiqua lis mota per Camillum aliquam passa fuit difficultatem, dum agebatur de prima specie magis rigorosa excludendi proprias filias à portione parentis, quoniam etiam fœminæ dicuntur agnatæ, ac de familia, juxta plenè deducta *dec.* 133. *p.* 9. *rec.* & frequenter supra ad materiam masculini concipientis fœmininum, secus autem in casu præsentis controversiæ cum monasterio omninò extraneo; Ideòque justa benèque fundata visa est resolutio.

PERUSINA FIDEICOMMISSI DE ANSIDEIS
PRO
BALTHASSARE DE SARACENIS ET NICOLAO DE DANZETTIS
CUM
HOSPITALI MISERICORDIÆ.

Casus decisus per Rotam pro Saraceno, & Danzetto.

De caducatione secundæ substitutionis ob caducationem primæ; Et quando corrupto antecedenti gradu substitutionis, caducentur sequentes; Vel potius intret vulgaris in fideicommisso, seu anomala, ad theoricam Bart. *in l. quamdiu, ff. de acquir. hæred.*

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *De laudabili stylo Curiæ in scribendo, & de regula super caducatione gradus sequentis per caducationem primi.*
4 *De theorica* Bar. in l. quamdiu *super vulgari in fideicommisso, seu anomala.*
5 *Distinguitur duplex species vulgaris.*
6 *De altera theorica* Angeli in eadem l. quamdiu *super limitatione regulæ, de qua n.* 4.
7 *Quod ista sit quæstio facti, & applicationis.*
8 *Ex quo desumatur testatorem se restrinxisse ad fideicommissariam.*
9 *Vocatus post mortem ejus qui est institutus, vel substitutus in usufructu, dicitur institutus, vel substitutus ab initio.*
10 *Fallit si institutus in usufructu ex conjecturis, censeatur etiam vocatus ad proprietatem.*
11 *De difficultate contra ea, quæ habentur n.* 8. *super restrictione ad fideicommissariam.*
12 *De alio fundamento resolutionis* ex cons. 21. Oldradi.
13 *Quod procedat etiam si pia causa sit substituta.*
14 *Quid operetur favor piæ causæ in ultimis voluntatibus, & quos effectus causet.*

DISC. CVII.

BAlthassar de Ansideis instituto hærede Pompilio fra-
1 tre, fideicommissum ordinavit in ejusdem Pompilii filiis, nepotibus, & descendentibus masculis, quibus non extantibus, vocavit Julianum alterum fratrem, cui strictissimè prohibuit quamcumque alienationem, quinimò interdixit, ne ad possessionem bonorum admitti posset, nisi prius facta illorum descriptione per Ministros Hospitalis misericordiæ, ad effectum providendi eorum bonorum conservationi, declarando quod dictus Julianus esset solùm administrator, ac dominus usufructus, post mortem verò dicti Juliani substituit præfatum Hospitale.

Post mortem testatoris, obiit primò dictus Julianus, deindè verò Pompilius, superstite Alexandro filio, cui defuncto absque prole, cùm successissent Saracenus, & Danzet. contra istos Hospitale, prætendens factum esse casum dictæ substitutionis, judicium instituit, & introducta causa in Rota cor. Priolo sub die 26. Januarii 1660. prodiit resolu-
2 tio reis conventis favorabilis in exclusionem substituti, cui resolutioni Administratores Hospitalis acquieverunt, forsan ex aliqua concordia, dum quod sciam, causa ulteriorem disputationis progressum non habuit.

In hac autem disputatione, scribentes pro Hospitali actore, benè observando laudabilem Curiæ stylum non evagandi in superfluis, neque assumendi illas disputationes, quæ ad
3 inane informationum, seu consiliorum ornatum per exteros assumi solent, super propositionibus, quæ aliàs apud antiquiores controversæ, hodie tamen passim receptæ sunt pro regula; Admittebant regulam, quod caducato præcedenti gradu substitutionis, caducentur omnes; Dicebant tamen id rectè procedere in substitutione merè fideicommissariam, & quando per eam tantùm testator disponere voluit, secus autem, ubi per compendiosam continentem quoque sub se vulgarem, quæ duplex in jure dicitur; Una directa, per quam substitutus dicitur primus hæres, quæ evaneseit per institutiaditionem; Et altera in fideicommisso, quam aliàs anomalam dicimus, per quam corrupto gradu antecedenti, subsequens jure subingressionis intrat
4 in locum, seu gradum corruptum, atque de secundo efficitur primus, perinde ac si primo substituto non existente in rerum natura, ipse abinitio primo loco vocatus esset, juxta magistralem theoricam Bart. *in l. quamdiu nu.* 10. *ff. de acquir. hæred.* quæ ex magis communi sensu DD. ac etiam Rotæ, recepta est pro regula, ut laè cæteris relatis, ac acerrimè discusso articulo firmatur per Rotam in Farfen. fideic. cor. Bichio *dec.* 201. *&* 227. *p.* 7. *rec.* & in Ravennat. coram Corrado *dec.* 12. *p.* 10. *dec.* 196. *n.* 24. *p.* 11. Interamn. fideic. 26. Januarii 1654. Bevilaqua, *& prius dec.* 332. *nu.* 6. *& seqq. p.* 6. *rec.* ac in aliis satis frequenter, cùm hodie, non constito, quod ex facti qualitate intret limitatio, id receptissimum sit pro regula.

Atque ista est vera, & propria vulgaris anomala cadens
5 sub d. theorica Bart. ad effectum præservandi caducationem, à qua potius per assimilationem, ac adinstar deducitur altera vulgaris anomala, per quam filius subintret in locum patris, ad effectum, ut ita fiat alteri proximiori æqualis; juxta deducta *decis.* 96. post Merlin. *de legitima*, aliàs *dec.* 198. *p.* 4. *rec. tom.* 2. & supra in Mutinen. & in Reatina *disc.* 17. *&* 18. & in aliis.

Scribens ego pro reis conventis, inhærendo eidem laudabili stylo, admittebam dictam regulam tanquam hodie
6 receptam, insistebam autem super ejus limitatione derivante ab alia pariter recepta theorica Angeli *in eadem leg. quamdiu, ff. de acquir. hæred.* ut scilicet ea non procedat, quando constat testatorem disponere voluisse per solam fideicommissariam, non autem per vulgarem, atque ut nostri dicunt, facere fideicommissum graduale, de primo in secundum, & de secundo in tertium, &c. ut ex Alex. *cons.* 1. *lib.* 1. Corn. *cons.* 199. *lib.* 1. Honded. *cons.* 49. *n.* 50. *& seqq. & n.* 65. *& seqq. lib.* 2. *& aliis*, Grat. *discept.* 747. *n.* 20. *cum seqq.* Fusar. *qu.* 460. *n.* 40. latè Altogr. *cons.* 46. *per tot. lib.* 1. Marcian. *disput.* 68. *per tot.* Rot. *dec.* 323. *n.* 7. *p.* 1. *rec.* cum aliis in hujus causæ decisione, Ac admittitur in ipsimet Farfen. cor. Bichio *dec.* 201. *&* 227. *p.* 8. *rec.* ac in omnibus aliis,
7 in quibus firmatur regula, nam sicuti ipsa regula recepta est, ita quoque est recepta limitatio, quam etiam scribentes in contrarium non negabant; Unde pariter ista remanet quæstio facti, & applicationis magis, quàm juris, in quo res videtur hodie plana; Ideòque in plusquam fortè centum controversiis sub hoc articulo cadentibus à me disputatis, modò defendendo regulam, ac modò limitationem, totus disputationis punctus erat in circumstantiis facti.

Hinc proinde scribentes in contrarium insistebant super
8 negatione applicationis dictæ limitationis ad casum, quod scil. non constaret de tali voluntate testatoris restringendi dispositionem ad istam puram fideicommissariam, quam tamen restrictionem Rota adesse credidit, eo quia substitutio Hospitalis directa non esset ad Pompilium, vel ejus filios sed ad dictum Julianum, post cujus mortem hanc ultimam substitutionem ordinavit, unde propterea præsupposuit in eo

in eo purificationem substitutionis cum subsequuto effectu, quod propriè ponderatur per DD. ad effectum dictæ restrictivæ ad fideicommissariam in exclusionem vulgaris.

Pro isto objecto evitando, scribentes pro actore dicebant, verè substitutionem Hospitalis factam esse Pompilio primo instituto, non autem Juliano, cujus persona, ac respectivè mors demonstrata tantùm esset pro eo tempore, quo sequu-
9 ta consolidatione ususfructus cum proprietate, successio pleno jure effectum sortiretur esset in ipso Hospitali, dum ob illa testamenti verba, *volendo, & ordinando, che detto Giuliano sia meramente padrone dell'usufrutto, e di essa heredità mero amministratore, & usufruttuario*, inferebant quod dispositio ad istius favorem contineret simplex legatum ususfructus, ipsum verò Hospitale directè substitutum esset primo instituto, quamvis substitutio concepta esset post mortem usufructuarii juxta magis communem opinionem, ubique receptam, præsertim in Rota ex plenè firmatis apud Merl. *dec.* 505. aliàs *dec.* 22. *p.* 6. *rec.* passim canonizata præcipuè in Imolen. prædii 6. Junii 1653. 27. Januarii 1658. & 29. Martii 1669. cor. Alberg. & in aliis in eadem causa cor. Emerix, & de qua habetur actum *sub tit. de Detractionib.* Istamque opinionem esse veriorem probant cæteris plenè collectis, Capyc. Latr. *consult.* 112. Martian. jun. *disputat.* 99. Bellon. jun. *de jure accrescen. c.* 7. *qu.* 16. *ex n.* 292. & alii moderni communiter.

Respondebam Ego, atque Rota amplexa est responsionem, quod licèt dicta opinio sit magis communis, ac recepta à me non impugnata, utpotè acriter defensa in d. Imolen. & in aliis; Attamen ea procedit, ubi adminicula, vel
10 conjecturæ non concurrant, ex quibus desumatur dispositum esse etiam de proprietate, itaut verbum *usufructus*, resolvatur in causalem magis, quàm in formalem juxta terminos text. *in l. Proculus, ff. de usufr.* quod deduci solet ex prohibitione alienationis, ac aliis proprietario magis, ac domino, quàm usufructuario convenientibus, ut generaliter habetur pluries ad hanc materiam ususfructus *sub tit. de servitutib.* Et in specie ad hunc effectum, plenè hujusmodi conjecturas, ac adminicula pro uno, vel alio casu expendunt Capyc. Latr. & cæteri *ubi supra*, & omnium latiùs Bellon. jun. qui disputat quæstionem ad partes.

Reflectendo autem ad veritatem, quamvis ex facti circumstantiis crederem hanc responsionem subsistere, atque ex testamenti contextu desumi verba, & adminicula hujusmodi effectum de stricto jure operantia, quod scil. Julianus etiam ad proprietatem esset vocatus; Attamen sentiebam aliquam difficultatem in hoc fundamento, quodque non benè probata videretur dicta voluntas disponendi per
11 meram fideicommissariam; Unde propterea istud fundamentum non omninò placuit, quoniam attenta magis substantia voluntatis, quàm formula, seu figura verborum, liquido constare videbatur, testatorem reputando Julianum prole desperatum, illumque præsupponendo forsan in œconomicis parum prudentem, ac dissipationibus facilem, voluit tamen eum donec viveret, quatenus fratri instituto superesset; providere, ut juxta benè regulatum charitatis ordinem ipse potiretur bonis Hospitali destinatis, non autem quod exinde resultaret restrictiva dispositionis ad istum casum præcisum; Ponderando potissimum illam circumstantiam, quod testator sequuta morte Pompilii hæredis, voluit quod ministri Hospitalis bona describerent, atque eorum conservationi providerent; signum clarum, quod ex tunc in animo habuit dictum Hospitale successorem; Et sic dicta verba importantia vocationem ad usumfructum consideranda esse observabam, non purè, ac simpliciter ad solum effectum legalem, an scilic. de stricto jure vocatus, censendus esset simplex legatarius, vel potius hæres, sed tanquam adminiculum hujus voluntatis super exclusione dictæ restrictivæ, contra quam etiam in dubio stat præsumptio, ut pluries in præcedentibus.

Ex alio tamen fundamento, eodem sensu veritatis reten-
12 to, pro meo judicio, credebam resolutionem esse probabilem, ob defectum scil. conditionis *si sine filiis*, sub qua dicta substitutio Hospitalis Pompilio hæredi facta erat, dum ex eo fuerat superstes Alexander, cujus obitus huic controversiæ causam dederat juxta receptissimam decisionem Oldradi *cons.* 21. dum non videbantur urgere conjecturæ, quæ suaderent dictæ regulæ limitationem; Et quamvis scribentes in contrarium nimium insisterent in favore causæ piæ; Atta-
13 men istud erat leve refugium, quoniam in specie dictæ decisionis, vel regulæ desumptæ *ex cons.* 21. Oldrad. ut procedat etiam, ubi causa pia est substituta, pluries decisum fuit, & præsertim habetur *decis.* 60. *part.* 10. *rec.* Ut enim firmatur in Romana restitutionis dotis 14. Decembris 1657. coram Priolo, edita in causa, de qua *disc.* 109. favor Eccle- 14
siæ, vel piæ causæ satis considerabilis, ac operativus est in ordine ad supplendum defectum solemnitatum, non autem ad supplendam, vel extendendam voluntatem, circa quam tamen adhuc favor est considerabilis in ordine ad magis benignam interpretationem in casu merè ambiguo, ut pluries advertitur *sub tit. de testam.* ad materiam *c. relatum, eod. tit.* Ac etiam *sub tit. de legat.* super articulo, an certa destinatio facta legato staret taxativè, vel demonstrativè cum similibus; De operatione autem favoris piæ causæ super præservatione caducationis ratione corruptionis gradus præcedentis habetur in Romana domus *disc. seqq.*

ANNOT. AD DISC. CVII.
cum seqq.

AD materiam vulgaris anomalæ videri poterunt deducta *in hoc eod. tit. disc.* 230. 242. 253. & in aliis.

Decisio enunciata in *disc.* 107. habetur impressa *decis.* 154. *part.* 13. *recent.*

Decisio coram Peutingerio prodita in casu, de quo suprà *disc.* 109. est inter ejus impressas *decis.* 469. Et ultima decisio coram Priolo, habetur impressa *part.* 13. *recent. decis.* 86.

ROMANA DOMUS
PRO
ARCHICONFRATERNITATE CRUCIFIXI
CUM
CAROLO ARGOLO.

Casus varie decisus per Rotam.

An utraque vulgaris directa, vel in fideicommisso, aliàs anomala contineatur sub compendiosa substitutione facta in legatis, & fideicommissis particularibus, ad effectum præservandi à caducatione resultante à corruptione gradus præcedentis; Et quid in hoc operetur favor piæ causæ substitutæ.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Punctus ad quem disputatio juris restringebatur.*
4 *In compendiosa ordinata etiam in legato rei particularis continetur vulgaris.*
5 *Declaratur, ut procedat quando substitutio est concepta per verba directa, non autem communia, vel obliqua.*
6 *Dicta declaratio subdeclaratur, quando procedat, & recipienda sit.*
7 *Institutus in re particulari, non dato, vel defecto hærede universali, remanet hæres.*
8 *Favore piæ causæ verba obliqua, vel communia habent vim directorum, & non intrat distinctio verborum, de qua n.* 5.
9 *Doctrinis punctualibus non habentibus contradictorem est deferendum, nisi malè sint fundatæ.*
10 *Non est pertranseundum cum solis authoritatibus, sed est indaganda eorum ratio.*
11 *De rationibus quibus innixa est conclusio, de qua n.* 8.
12 *Etiam in testamento militis, vel patris inter filios, aut aliàs ex conjecturata voluntate præcedere potest, id quod dicitur, n.* 8.
13 *De alio casu, in quo respondetur pro caducatione, etiam contra causam piam.*

DISC. CVIII.

FRanciscus Bajettus, instituto hærede Andrea fratre, reliquit controversam domum pro dote Paulinæ ejus-
dem Andreæ filiæ, cui quandocumque morienti sine filiis, 1
substituit Conventum Capuccinorum, ob quorum incapacitatem, fabrica S. Petri in vim ejus facultatum, sequuta morte dictæ Paulinæ, istud legatum, seu fideicommissum agnovit, ejusque jura cessit Archiconfraternitati Sanctissimi Crucifixi ex alio titulo dictam domum possidenti, inter quam, & Carolum Argolum habentem causam mediatam, vel immediatam à dicto Andrea hærede, orta lite, introductaque causa in Rota coram Bevilaqua sub die 3. Junii 1658.
prodiit resolutio Argolo favorabilis ex motivi caducatio- 2
nis dictæ substitutionis, ex eo quod supponeretur dictam Pauli-

Paulinam testatori prædecessisse, & ex aliis circa domus
identitatem in nudo facto consistentibus; Concessa verò
nova audientia, & pluries proposita causa, demum sub die
...... Februarii 1669. recessum fuit à decisis; Et quamvis sen-
sus Rotæ esset recedendi etiam à firmatis in prima resolutio-
ne circa caducationem, amplectendo limitationem, de qua
infra; Attamen, incertum est ex qua ratione, brevis decisio
desuper edita, tota fundatur in quodam motivo facti super
incompetentia jurium dicti Argoli, qui in effectu, potius
actoris, quàm rei personam gerere dicebatur.
Ultrà igitur plura in puro facto consistentia, quæ in hu-
3 jusmodi disputationibus deducta fuerunt, & de quibus jux-
ta Romanæ Curiæ stylum ad Advocatos inspicere non per-
tinet; Atque præsupposita etiam morte dictæ Paulinæ ante
testatorem, quod etiam ex hac parte in facto dicebatur non
benè justificari; Punctus juridicus in hujusmodi disputatio-
nibus acerrimè discussus fuit; An in dicta compendiosa sub-
stitutione facta ad favorem Conventus Capuccinorum, ex
cujus cessis juribus dicta Archiconfraternitas veniebat, con-
tineretur necne vulgaris, quæ præservaret istam substitutio-
nem à caducatione, aliàs ob corruptionem primi gradus re-
gulariter resultante.
In hoc autem, scribentes pro Argolo non negabant, etiam
4 in legatis, & dispositionibus particularibus, sub compendio-
sa contineri posse vulgarem, per quam, corrupto anteceden-
ti gradu, ille qui est secundus, efficiatur primus, juxta firma-
ta per Peregr. *art.34. num.7. & 19.* Bellon.jun. *cons.6. num.1. cum seqq.* cum aliis per Rotam *decis.94. par.11. recent. num.4.
cum seqq.* ubi ex professo id firmatur; Dicebant tamen id
procedere quoties dicta compendiosa concepta esset verbis
directis, secus autem ubi verbis communibus, vel obli-
quis, cùm tunc solam fideicommissariam contineat, & con-
sequenter intret caducatio juxta receptam theoricam Bart.
in l.centurio, n.18. ff. de vulgari, quam magis communiter se-
quuntur DD. collecti per Surd. *cons.229.* ac etiam relati in
5 dicta prima hujus causæ decisione; Ideoque cùm ista substi-
tutio absque dubio concepta non esset per verba directa, sed
vel per obliqua, vel communia, hinc proinde dicebant, at-
que Rota in prima resolutione sequuta est, suffragari non
posse vulgarem, quæ sive directa, sive anomala aliàs in fi-
deicommisso, unicè salvat caducationem sequentis gradus
ob corruptionem antecedentis.
Scribens ego pro Archiconfraternitate, insinuabam quod
6 ubi etiam non militaret motivum, de quo infrà resultans à
favore causæ piæ, itaut ageretur de causa merè prophana
regulanda à dispositione, ac subtilitatibus juris civilis; Ad-
huc tamen non ita de plano intraret dicta theorica, alioquin
in suo casu vera, ex defectu applicationis; Ista enim distin-
ctio; An tacita vulgaris contenta in compendiosa, conce-
pta sit necne per verba directa, ad faciendum, ut substitutus
ita efficiatur institutus, vel primò vocatus, verè, ac pro-
priè percutit effectum juris universalis, ac directi, ut ita ille
remaneat hæres, quod etiam cadere potest in legatario, vel
instituto in re particulari, quando scilicet non scripto, vel
deficiente ante testatorem hærede instituto, substitutio in re
particulari trahi debeat ad jus universale, ne contingat testa-
torem decedere pro parte testatum, & pro parte intestatum,
ad text. *in l. quoties, §. si duo, ff. de hæred. instit.* cum concor. per
Bellon.jun. *de jur. accresc. c.7. q.7.* Crass. *§. hæreditas, q.3.* Castil.
lib.3. contr. c.17. Greg. *dec.244.* Otthob. *dec.162. & 203.* editis
in causa de qua *disc. seqq.* Atq; ista est propriè quæstio, de qua
agit Peregr. *d. art.34. n.19.* Circumscripto enim isto effectu,
quia nempè etiam substitutus particularis ob existentiam
hæredis universalis remaneat in terminis legatarii, vel fidei-
commissarii particularis, unde non intret dictum inconve-
niens, ut testator decedat pro parte testatus, & pro parte in-
testatus, non videtur subesse ratio, ob quam intrare non de-
beat vulgaris, si non directa, saltem ea quam dicimus in fi-
deicommisso, seu anomalam, quæ faciat istum solum effe-
ctum præservationis ipsius legati, seu particularis dispositio-
nis à caducatione absque dicto alio majori effectu; Ideoque
videtur potius indiscretus rigor resultans à formalitate ver-
borum, quæ neque ipsismet juris professoribus frequentius
benè cognita est, & sic species judaismi legalis absque aliquo
rationis fomento, & contra verisimilem voluntatem.
8 Quidquid autem sit de hoc puncto inter privatos, ac in
prophanis dispositionibus, quem adhuc formiter disputare
occasio non dedit, unde propterea maturum judicium pro
veritate desuper efformari non omninò potuit, ita solum
præmissis insinuatis; Cum sensu etiam veritatis dicebam,
hujusmodi distinctionem non cadere in hac facti specie, in
qua agebatur de dispositione ad favorem causæ piæ, inter
cujus privilegia illud numeratur, quod ejus favore verba
communia, vel obliqua directantur, eamdemque faciant
operationem, quam facerent directa, ut per Soccin. *cons.
116. n.14. lib.1. vers. quod oppositio*, cujus authoritate id firmat
etiam Tiraquell. *de privil. piæ causæ c.44.* & sequuntur ex his
authoritatibus, Gabr. *consil.101. n.4. lib.1.* & Altograd. *cons.
76. lib.1. num.7.*
Contra quas authoritates, quamvis plures pro altera par-
te scriberent, inter quos aderant etiam seniores, ac primarii,
in hac parte doctrinali eruditissimi, ac eximii; Attamen ni-
hil in contrarium deducere potuerunt, evagantes solum
cum copiosis allegationibus super conclusione, quam ego
tanquam veram non impugnabam, sed dicebam à casu quæ-
stionis extraneam, quod scilicet favor causæ piæ operativus
quidem est, supplendo quoscumque defectus solemnitatis,
non autem illum voluntatis; Unde propterea intrabant pro- 9
positio, quam hodie juxta adeò regnantem pragmaticum
usum, receptam & quotidianam in foro habemus, quod do-
ctrinæ punctuales absque contradictore habendæ veniunt
in decidendo pro casu legis; Fortius verò ubi agatur de DD.
antiquis, & gravibus, ut in præsenti, quibus nomen simpli-
cium collectorum non conveniat, neque dici valeat, quod
sint malè fundatæ, utpotè deviantes à principiis, quo casu in
nulla ratione habendæ sunt, ut benè advertitur Cyriac. *con-
trov. 50. in principio.*
Verum quia genium semper abhorruit ita simpliciter ju- 10
rare in fide magistri, atque cessante legum authoritate neces-
saria, aliquid simpliciter firmare ex eo, quod ita dicant Joan-
nes, & Martinus, non inquirendo, ut decet, principia à qui-
bus majorum nostrorum traditiones originem trahant;
Hinc proinde inquirendo rationem dicebam, quod ubi
etiam dictæ punctuales authoritates non adessent, sive quod
casus non dedisset, ut earum notitia haberetur; Adhuc ta-
men idem dicendum veniret ex duplici clara ratione, qua-
rum quælibet sufficit, ut favore Ecclesiæ, vel piæ causæ non
intret dicta distinctio inter verba directa, & obliqua, vel
communia, sed omnia eamdem habeant naturam, vel ope-
rationem.
Primò scilicet, quia ut frequenter habetur in sua materia 11
sub tit. de testam. in terminis textus *in cap. relatum, de testam.*
Ecclesia, vel pia causa attendit solam veritatem naturalem,
atque contentatur illa naturali probatione, quæ in actibus
inter vivos esset obligatoria ad peccatum, dum non subjacet
juri positivo ejusque subtilitatibus, vel distinctionibus ad
communiter notata in eodem *cap. relatum*, cum aliis per
Abb. *in magistrali cons.32. n.2. & seqq. part.2.* Tiraqu. *privil.
piæ causæ 21.* Magdalen. *de num. testium, part.2. c.3. n.2. cum
seqq.* Rubeus *de testam. ad pias causas, c.1. n.33. cum seqq.* Un-
de propterea ea, quæ in jure habemus favore piæ causæ, non
proveniunt à puro privilegio, ut vulgus opinatur, sed à dicta
ratione exemptionis à legis positivæ authoritate, ac disposi-
tione; Et consequenter cùm dicta distinctio verborum pro-
veniat à jure civili, ejusque subtilitatibus, atque frequentius
sit citra testantium voluntatem, cùm verborum formulæ
concipi soleant à Notariis, vel aliis testamentorum scripto-
ribus, ut plurimum, non callentibus hanc distinctionem,
seu distinctionis operationem, idcircò immorandum non
est in distinctione prædicta, sed solum attendenda substan-
tia naturalis voluntatis testatoris, quæ est, ut res sit prius
unius, & deinde alterius, quos ipse vocavit, non autem
ejus, quem ipse habere noluit.
Altera etiam convincens ratio est, quod eadem verbo- 12
rum distinctio, vel operatio provenit à dicta subtilitate juris
civilis, ita fingentis, vel præsumentis testatoris voluntatem,
unde si de ista diversimodè constet, nedum expressè, sed
etiam conjecturaliter, & præsumptivè, adhuc etiam in pro-
phanis, ejusdemque juris civilis dispositione attenta, verba
obliqua, vel communia directantur, seu directorum vim, ac
operationem habent, Unde infertur, quod in testamento
militis, quod ob militarem simplicitatem juris subtilitatibus
non subjacet; Sive in testamento patris in liberis, in quo pa-
riter cum sola veritate naturali proceditur, talis distinctio
non intrat, ad text. *in l. quærebatur, ff. de militari testam.* ubi
Bart. & cæteri apud Mantic. *de conject. lib.5. tit.1. n.9.* Fusar.
q.7. n.1. & communiter; Ideoque cùm piæ causæ in jure
concedantur omnia ea privilegia, quę concessa leguntur mi-
litibus, vel filiis, quoties istorum præjudicium in legitima
non concurrat, necnon subintelligatur clausula, *omni modo
meliori*, vel similis, ob quam pia voluntas, vel dispositio
suum effectum sortiatur, exinde resultat de hujusmodi di-
stinctionibus curandum non esse, atque hanc dicebam vi-
deri genuinam veritatem.
E con-

13 E converso, in eisdem terminis hujusmodi quæstionis
caducationis pro illa concludebam, etiam contra causam
piam ob corruptum gradum præcedentem in una Urbina-
ten. pro Michaloro cum Hospitio Orphanorum; Cum
enim Jacobus Michalorum instituto Blasio fratre, post mor-
tem ipsius, ac Cæciliæ neptis reliquisset partem domus Mo-
nasterio Celestinorum sub duplici conditione; Una scilicet
incorporationis dictæ domus Monasterio, & altera quod
semper in eo morentur sex Religiosi Sacerdotes, quodque si
intra quatuor annos post factum casum legati dicta Religio
præfatas conditiones non adimpleret, ac successivè non ob-
servaret, tunc & eo casu dicta domus esset Hospitii Orpha-
narum; Casus verò dedisset, quod dictis Blasio, & Cæcilia
adhuc viventibus dictum Monasterium Apostolica autho-
ritate fuisset suppressum; Hinc subsequuta morte dictorum
Blasii, & Cæciliæ, dubitatum fuit, an factus esset casus di-
ctæ substitutionis ad favorem Hospitii, atque desuper con-
sultus, cùm difficultates hincinde urgerent, atque non
ageretur de re magni momenti, consului concordiam, quæ
jam præparata mihi supponebatur; Siquidem pro hærede di-
cti Blasii facere videbatur, quod ista substitutio dici non pos-
set compendiosa sub se continens vulgarem in fideicommis-
so, seu anomalam, cùm in verbis videretur purè fideicom-
missaria, ac pœnalis in casu observantiæ post elapsos qua-
tuor annos à die qua sequuta morte Blasii, & Cæciliæ factus
esset casus legati, unde propterea advertebam, ita de plano
intrare tunc jam firmata etiam contra causam piam per Ro-
tam in Perusina fideicomm. 26. Januarii 1660. coram Priolo
de qua *disc. præced.* Non erat enim fideicommissum sim-
plex, & dispositivum sub aliqua conditione casuali, vel mix-
ta, sed potius penale, ac per viam privationis, quæ per necesse
supponit acquisitionem, & sic non cadebant difficultates ad-
versus dictam decisionem ponderatæ *d. disc. præced.*
E converso autem cogitabam, an cadere possent ea, quæ
ad materiam *cons.177.* Oldrad. habentur *disc. 90.* ut substitu-
tio facta alicui qui sit exiturus, & succedat, sed posteà defi-
ciat, locum quoque habeat, si non nascatur, quasi quod te-
stator generaliter istam domum, defectis fratre, & nepte,
Deo, ac piis usibus destinaverit, distributo solum quodam
ordine, seu modo, ut scilicet prius habeant dicti Religiosi,
quatenus conditiones implerent, sin minus dicta altera pia
domus Orphanarum, quodque propterea spectari deberet
substantia dictæ voluntatis, cum sola veritate naturali, non
curatis istis juris civilis subtilitatibus; Cùmque tunc aliæ oc-
cupationes urgerent, unde tempus non vacabat maturius
judicium desuper efformare, idcircò remanendo indeter-
minatus, fui in sensu, quod præparata concordia effectua-
retur, incertum tamen est quid sequutum fuerit.

ROMANA RESTITUTIONIS DOTIS
PRO
HOSPITALI S. JOANNIS COLABITÆ,
CUM
POMPEO DE PAULIS.

Casus variè decisus per Rotam.

An & quando secunda substitutio dicatur alterius accessoria, & dependens, itaut prima caducata, vel cessante, illa quoque cesset; Vel potius stet independenter, ac de per se non subjecta caducationi substitutionis antecedentis.
Et incidenter, An verba importantia libertatem sint compatibilia, necne cum fideicommisso.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De pacto quotæ litis, cum quibus sit improbatum.*
4 *Ubi subsequentes substitutiones sunt dependentes, & consecutivæ à prima concepta per vulgarem, prima deficiente omnes corruunt.*
5 *Secus si est compendiosa independens, quia tunc continet etiam fideicommissariam.*
6 *Admittitur tanquam vera utraque theorica, de qua n. 4. & 5.*
7 *Quando una substitutio dicatur alteri accessoria, & dependens, vel potius independens, & principalis, & quid operetur unicitas, vel duplicitas orationis perfectæ.*
8 *Quando in dubio respondendum sit pro causa pia, necne.*
9 *Excluditur fideicommissum, si testator voluit eum, cum quo est dispositum, esse liberum dominum, seu aliàs adsint verba libertatem denotantia.*
10 *Et quando verbum denotans libertatem sit compatibile cum fideicommisso.*

DISC. CIX.

MArgarita hæredem particularem instituit in quibus-
dam bonis specificatis Octavium de Cavaleriis, in- 1
juncto onere celebrationis aliquarum Missarum vivente ip-
so Octavio, quo hæreditatem acceptare recusante, roga-
vit administratores Archiconfraternitatis Sanctissimæ Tri-
nitatis Peregrinorum, ut hæreditatem susciperent, dictas-
que Missas, ac alia pia opera impleri curarent, donec vive-
ret idem Octavius, post cujus mortem succedere voluit So-
cietatem S. Annæ cum onere dotationis puellarum, dispo-
nendo præcipuè, quod Octavius, exceptis quibusdam locis
montium; cum quorum fructibus quædam onera adimple-
ri voluit, de pecuniis, ac aliis bonis, esset liber dominus cum
illis verbis materna lingua explicatis, *ne sia libero patrone;*
Cùm autem adversus Octavium acceptantem hæreditatem,
Pompeus de Paulis ejusdem Margaritæ ab intestato succes-
sor, litem instituisset super legitima successione ob testamen-
ti invaliditatem ex defectu institutionis hæredis universalis;
Introducta causa in Rota coram Otthobono, duæ prodie-
runt resolutiones ad favorem Octavii, ut quamvis hæres 2
particularis, vel legatarius, non dato alio hærede universa-
li, ipse remaneret talis, ut patet *ex decis. 162. & 203. inter
suas*, ad quarum normam expedita sententia, & commissa
causa appellationis in eadem Rota coram Peutingerio, ut
Pompeus actor cum pluribus titulis, seu juribus ejus præ-
tensionem consoveret, obtinuit à dicta Societate S. Annæ
cessionem jurium sibi in vim dictæ substitutionis competen-
tium, sub conventione certæ quotæ in casu victoriæ; Ac
propterea quamvis coram Peutingerio disputatum esset du-
bium cadens in causa antiqua, *An sententia Otthoboni esset
confirmanda, vel infirmanda*, adhuc tamen jura istius Socie-
tatis deduxit, quibus neglectis, sub die 28. Martii 1653. pro
confirmatione sententiæ responsum fuit, & concessa expedi-
tione, commissa fuit denuò causa in eadem Rota coram
Priolo, coram quo actor cedendo antiquæ liti ex propria
persona intentatæ super intestata successione, in qua sibi ob-
stabant duæ conformes, se restrinxit ad hoc novum jus, da-
toque dubio cum Hospitali S. Joannis Colabitæ Octavii in-
terim defuncti hærede, *An constaret de fideicommisso ad fa-
vorem Societatis cedentis, & an cessio Pompeo suffragaretur*,
illoque proposito 22. Junii 1657. prodiit resolutio Pompeo
in omnibus favorabilis, sed concessa nova audientia, & pro-
posita causa, sub die 14. Decembris ejusdem anni 1657. re-
cessum fuit à decisis; Reproposita verò sub die 6. Junii 1659.
super dubio, *An standum esset, in primo, vel in secundo loco
decisis*, nulla capta fuit resolutio, neque causa ulteriorem
prosequutionem habuit ob actoris acquiescentiam.
In his ultimis disputationibus habitis in tertia instantia
coram Priolo; Ego solum scripsi pro Hospitali, duoque fue- 3
runt disputationum puncti à præfato dubio resultantes; Pri-
mò scilicet, An constaret de juribus cedentis; Et secundò
An constito, cessio esset valida, & suffragaretur cessionario.
Ratio autem dubitandi de cessionis validitate consistebat
in eo, quod illa contineret pactum quotæ litis à jure impro-
batum; Verùm istud motivum de facili rejectum fuit, quo-
niam ea, quæ in jure habentur super hujus pacti invalidita-
te, & prohibitione percutiunt solum Advocatos, & Procu-
ratores, aliosque Causidicos, secus autem alias personas, jux-
ta decisionem Putei 507. *lib.2.* ac firmant Peregr. *de jure fi-
sci, lib.4. tit.7. n.16. in fine*, Surd. *cons.306. num.10.* Cancer.
part.1. var. c.14. num.185. & seqq. Farinacc. *cons.70. num.
3.* Martius Medices *decis.37. num.2.* & habetur latius actum
in sua materia *sub tit. de contractibus in genere*, sive sub al-
tero *de judiciis*, ubi etiam agitur, An & quando hujusmo-
di pactum substineatur etiam in ipsismet Advocatis, & Pro-
curatoribus; Atque resolutio in hoc puncto, mihi quam-
vis succumbenti, ac more Advocati motivum deducenti,
reflectendo ad veritatem, visa est probabilis, unde propte-
rea in revisione neglecto isto motivo, tota disputatio restri-
cta fuit ad alterum punctum principalem super juribus di-
ctæ Societatis cedentis.
Hujus autem puncti decisio pendebat ab eo, An hæc sub-
stitutio Societatis cedentis esset dependens, & consequuti-
va alterius substitutionis factæ de dicta altera Societate, vel
potius

potius esset independens, & per compendiosam facta ipsi Octavio hæreditatem acceptanti in casu mortis; Primò enim casu, data dependentia à dicta prima substitutione concepta solum per vulgarem in casu non acceptationis, certa erat etiam secundæ substitutionis cessatio, seu caducatio ob caducationem primæ cessatæ, per aditionem hæreditatis factam ab Octavio, ad text. *in l. si mater, §. fin. & l. qui habebat, ff. de vulgar. & pupillar.* Cuman. *in l. Gallus, §. quidam rectè, ff. de liber. & posth. n.* 7. ubi etiam Aretin. Soccin. & reliqui plenè collecti per Peregr. *ari.* 15. *num.* 3. *cum seqq.* Cyriac. *controv.* 522. *n.* 93. Cavaler. *dec.* 496. *n.* 1. Rot. *decis.* 230. *n.* 1. *p.* 2. *diverf. & dec.* 519. *n.* 2. *p.* 1. *rec.* & post istas disputationes plenè firmatum fuit in Bonon. fideicomm. de Pinchiariis 28. Martii 1659. coram Priolo, ubi quod etiamsi magnus adesset substitutionum progressus, si omnes sunt dependentes, seu consecutivè à prima concepta per vulgarem tantum, illa defecta per defectum conditionis, omnes aliæ corruunt, dictaque decisio ab inde in Curia reputatur in materia magistralis sæpius canonizata.

E conversò autem, si hæc secunda substitutio esset independens, ac staret principaliter, & de per se facta ipsi Octavio, tunc dicendum esset, cum tanquam compendiosa contineret, nedum vulgarem, sed etiam fideicommissariam juxta doctrinam Bart. *in l. centurio, num.* 9. *ff. de vulgari*, & gloss. *in c.* 1. *verb. absque deductione, de testam. in* 6. cum concord. per Fusar. *qu.* 223. *n.* 29. *cum seqq.* & per Rotam *decis.* 149. *num.* 3. *& seqq. part.* 7. *recent.*

Utraque theorica tanquam certa admittebatur per scribentes hincinde; Adversarii enim admittebant dictam conclusionem, quando substitutio esset consecutiva, & dependens à prima concepta per solam vulgarem, & ego admittebam alteram, quando esset independens, & de per se tanquam per compendiosam factam ipsi hæredi, continentem etiam fideicommissariam in casu mortis, unde propterea quæstio remanebat solum circa applicationem, An scilicet hæc substitutio dicenda esset dependens, vel respectivè independens à dicta alia præcedenti facta ad favorem alterius piæ Societatis.

Pro independentia, quasi quod hæc secunda concepta esset in diverso casu, in quo etiam Octavius acceptaret, ac postea decederet, ponderabant scribentes in contrarium duplicitatem orationis perfectæ respectivè, non obstante quod utraque ab eodem verbo recta esset, quoniam id non implicat, cùm tunc illud unicum verbum reduplicandum veniat, perinde ac si in utraque repetitum esset, ut in prima decisione deducitur; Et sic quod ad favorem istius Societatis cedentis duplex substitutio concepta esset; Unam in casu quo Octavio non acceptante, acceptaret Societas Trinitas, cui hæc alia Societatis substituta sit sub conditione mortis ejusdem Octavii; Et alteram compendiosam continentem fideicommissariam, factam ipsi Octavio acceptanti, ac postea morienti.

Pro dependentia autem, ego econtrà considerabam, quod hæc secunda substitutio concepta esset per dictionem copulativam cum prima, & tanquam per speciem continuationis ejusdem sermonis, non obstante prætensa perfectione utriusque orationis, quoniam non implicat duas orationes esse perfectas, etiam cum propriis, ac distinctis verbis, à quibus regantur, & tamen implicare continuationem ejusdem dispositionis, ex deductis per Mantic. *de conject. lib.* 10. *tit.* 6. *num.* 47. latè Oddo *cons.* 95. *num.* 85. *cum seqq.* Rota *decis.* 143. *num.* 8. *par.* 1. *recent. & dec.* 33. *num.* 7. *& seqq. part.* 7. cum aliis in secunda decisione.

Istæ generaliamihi non satisfaciebant, unde quando alia specialia non concurrerent, dubitassem potius de Juribus istius partis; Licet enim, ut firmatur in ultima decisione 14. Decembris 1657. ex authoritate Mantic. *de conject. lib.* 6. *tit.* 3. *n.* 41. Rota *dec.* 313. *p.* 1. *diverf.* ac aliorum, favor piæ causæ sit solum operativus quoad solemnitates, ac alia à juris positivi rigore, & subtilitate resultantia, non autem quoad ea, quæ sunt voluntatis, quam non supplet, quoniam dedecet Ecclesiam, quæ est justitiæ, ac æquitatis mater, & cultrix, quærere aliena citrà domini voluntatem, ut advertitur *diſc. præced.* & sæpius *sub tit. de testamentis*, super puncto substituendi testamenta imperfecta, distinguendo inter imperfectionem solemnitatis, ac illam voluntatis; Attamen id rectè procedit, ubi certum est voluntatem non suffragari, secus autem ubi hæc est dubia, itaut quæstio restringatur ad interpretationem, cùm tunc rectè procedant firmata in prima hujus causæ decisione ex authoritate Tiraquell. *de privil. piæ causæ, c.* 62. Duran. *dec.* 262. *n.* 2. Orthob. *dec.* 213. *n.* 23. *cum seqq.* & communiter ut piæ causæ favor in hoc consistat, quod recipiat latam, ac benignam interpretationem, per quam eligatur tutior via, qua mediante consulatur suffragio animæ testatoris, ejusque voluntas impleatur; Et ideò cùm ageretur de causa pia, neque dubitari posset esse nimis dubium, an substitutio esset juxta unam, vel alteram naturam, satis dubitari posset, quod interpretatio capienda esset, prout favorabilius esset piæ causæ.

Credebam tamen, etiam pro veritate, hanc secundam resolutionem ad favorem hæredis, atque pro bonorum libertate substinere ex illa particulari facti circumstantia, quod testatrix in casu quo Octavius hereditatem acceptare vellet, de pecuniis aliisque bonis, exceptis locis montium (quorum exceptio firmabat regulam in contrarium (esset liber dominus, quod excludebat dictam fideicommissariam, quoniam servitus, & libertas dicuntur contradictoria, atque invicem incompatibilia; Unde cùm fideicommissum dicatur servitus, dici non poteſt, quod illud injunctum esset ei, cui testatrix expressè dedit libertatem, ex deductis per Surd. *cons.* 143. *n.* 23. *cum seqq. & dec.* 272. *n.* 13. *cum seq.* Fusar. *q.* 546. *n.* 3. Rota in Romana census 14. Junii 1653. Bichio, & in aliis; Potissimè, ut dictum est, stante dicta exceptione, seu discretiva, quod scilicet quando eundem Octavium gravare voluit, id fecit, ac expressit, ut dignoscebatur in locis montium; Et sic videbatur quod voluntas hujus testatricis esset, ut Octavio acceptante, aliud non adesset substitutionis onus, nisi illud in locis montium, in reliquis autem remaneret liber dominus; Illo autem non acceptante, tunc substitutio ordinata esset ad favorem duorum locorum piorum per prius, & per posterius; Primò scilicet ad tempus vitæ dicti Octavii ad favorem Societatis Trinitatis cum onere Missarum, & deinde in perpetuum ad favorem alterius Societatis cum diverso onere dotationis puellarum, sed utraque sub eadem conditione non acceptationis dicti hæredis.

Et quamvis in prima hujus causæ decisione ponderetur, quod verba libertatem denotantia non implicent, sed compatibilia sint cum fideicommisso, utpote referibilia ad libertatem capiendi possessionem propria authoritate, ac absque necessitate obtinendi ab hærede restitutionem realem, vel verbalem de jure requisitam, ut in specie advertitur apud Buratt. *dec.* 168. *n.* 23. *cum seq. & dec.* 246. *n.* 35. *p.* 5. *rec.* Attamen motivum non intrabat ex defectu applicationis, cùm dictæ authoritates procedant, quando verbum libertatis significativum conceptum est per adverbium, quo casu rectè admitti dictam interpretationem, quia nempè dictum sit, quod bona *liberè vadant, &c.* Secus autem ubi libertas adjecta est ipsi dominio, cùm tunc dictam interpretationem sine dubio recipere non videatur, atque hæc videbatur veritas.

ROMANA LEGATORUM
PRO
JOACHINO ROTA
CUM
ECCLESIA DE ARA COELI.

Casus disputatus coram A. C. resolutus pro Ecclesia.

An ad effectum caducationis, seu juris accrescendi, vel non decrescendi, substitutio reguletur jure institutionis, vel primæ dispositionis, itaut non data substitutione universali, vel ea data, & caducata, substitutio particularis in usufructu, vel alia re particulari efficiatur universalis, eo modo, quo de prima institutione sequitur; Et incidenter, An institutus hæres in usufructu post cujus mortem alter sit vocatus ad proprietatem, dicatur hæres pleno jure, ita ut vocatus post ejus mortem censeatur substitutus tam ad effectum caducationis, quàm detractionum, & alios, vel potius habeatur jure legatarii, alter autem censeatur hæres directus ab initio.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Institutus in usufructu, non dato alio hærede in proprietate, remanet hæres in totum.*
3 *Quid de substituto in usufructu, si datus non est alter substitutus in proprietate.*
4 *De differentia inter casum, de quo num.* 2. *& alterum de quo num.* 3.
5 *An substitutio in usufructu referenda sit ad causalem implicantem etiam proprietatem.*
6 *Testatores sæpè omittere solent ea, quæ jam cogitaverant, & decreverant.*
7 *De quæstione, an institutus in usufructu, post cujus mortem alter sit vocatus ad proprietatem, dicatur interim hæres pleno jure, alter vero sit substitutus, vel potius iste sit hæres directus a principio ad plures effectus.*

DISC. CX.

1 JOannes Dominicus de Scholis, hæredem instituit Hortensiam matrem, cui quandocumque morienti substituit in usufructu Joannam, & Martham sorores, nullo dato substituto in proprietate; Cùm autem dicta Hortensia institutis præfatis Joanna, & Martha ejus filiabus, quædam legata fecisset, præsertim ad favorem Ecclesiæ nuncupatæ de Aracœli, ad quorum solutionem pulsatus Joachinus dictarum mulierum cessionarius, vel successor coram A. C. illam negabat ex eo fundamento, quod cùm omnia bona in dictæ Hortensiæ hæreditate remansa provenirent à præfato Joanne Dominico, idcircò spectabant ad dictas Joannam, & Martham sorores jure proprio in vim dictæ substitutionis, dum in facto supponebatur legitimam matri competentem esse jam consumptam, cùm dicta substitutio concepta esset in solo usufructu, nullo alio dato substituto in proprietate; Hinc proinde, quemadmodum in prima institutione habemus in jure receptum, ut institutus in solo
2 usufructu, non dato alio hærede in proprietate, vel data institutione, sed caducata, ille remaneat hæres in totum, ac pleno jure, ad text. *in l.* 1. *§. si in fundo, ff. de hæred. instituen.* & firmant scribentes collecti per Bellon. jun. *de jure accresc. cap.* 7. *q.* 10. *n.* 20. Royit. *decis.* 26. *n.* 5. *& decis.* 43. *num.* 12. Et conferunt in idem ea quæ de instituto in re particulari, ut remaneat hæres universalis, isto non dato, vel caducato, habentur supra in Romana restitutionis dotis *disc. preced.* Ita dicendum sit in substitutione.

Et in hoc scribens pro reo convento, tanquam Advocatus adducebam specialem authoritatem Menoch. *cons.* 637.
3 *num.* 1. *cum seqq.* ubi agendo in specie de substitutione idem firmat, ex eisdem rationibus quibus dicta præcedens conclusio innititur, ita supponendo eamdem rationem, seu proportionem; Cùmque in contrarium nulla allegaretur authoritas specialis, hinc exagerabam propositionem per ora pragmaticorum quotidie volitantem, quod doctrina specialis, non docto de contradictore, in judicando habenda est pro casu legis, atque si contigisset causam tractari coram aliquo ex illis, qui spernentes rationia, immorantur in sola doctrina, qualis qualis sit, inspiciendo, An ille Doctor dicat, vel non dicat, non autem an benè, vel malè, neque reflectendo præsertim ad eam qualitatem, an loquatur in Consiliis ad causæ opportunitatem, probabilius pro hac parte judicatum fuisset; Verùm quia casus dedit judicem esse ingeniosum, ac procedentem potius cum rationibus, & principiis juris, idcircò neglexit authoritatem, utpotè malè fundatam, ac doctrinam venalem; Et reflectendo ad veritatem, laudavi judicium, utpotè juxta meum sensum ab initio juxta consuetudinem sincerè insinuatam clienti, qui aliquam habens peritiam in legali facultate, omninò voluit eam deduci.

Clarum siquidem videtur æquivocum applicare terminos
4 primæ institutionis, substitutioni obliquæ, seu fideicommissariæ ob magnam diversitatis rationem militantem inter unum casum & alterum; In primo enim ideò institutus in usufructu, vel alia re particulari, non data, vel caducata institutione universali, ex beneficio juris accrescendi, vel non decrescendi, seu aliàs ex legis dispositione pro testamento substinendo, efficitur hæres in totum, quia una & eadem dispositio non debet diverso jure censeri; Fortiùs verò ad evitandum absurdum, ut quis decedat pro parte testatus, & pro parte intestatus, quod in pagano implicat; Hæc autem ratio non intrat in substitutione obliqua, seu fideicommissaria præsupponente primam institutionem jam effectum sortitam, quoniam nil prohibet legatario, vel instituto in re particulari aliàs legatum transmittenti ad ejus hæredem extraneum dari particularem substitutum, quamvis hæredi universali nullus substitutus detur, dum hæreditas transmittitur ad ipsius hæredis hæredem, etiam jure testati, & non intrat dictum absurdum; Unde mirabat, quod Doctor adeò qualificatus ut est Menoch. id assereret, motus ex conclusionibus in suo casu veris; sed non benè applicabilibus ad casum, nisi cum excusaret consuetudo Consulentium habentium necessitatem respondendi pro cliente ad causæ opportunitatem; Ideòque magis ac magis edocemur, quàm circumspectè procedendum sit in deferendo Consulentium authoritati.

Aliquam majorem probabilitatem, sive probabilitatis apparentiam habere videbatur alterum motivum, quod pariter tanquam Advocatus in ista causa deducebam, scilicet hæc substitutio facta per testatorem ad favorem ejus sororum post mortem matris, quamvis ita in verbis concepta esset in usufructu, intelligenda esset etiam de proprietatem, cùm verbum, *usufructus*, duplicem habeat significationem, formalis scilicet importantis simplicem servitutem pro sola perceptione fructuum absque aliqua participatione proprietatis, quæ penes alterum præsupponenda est, & causalis involventis etiam proprietatem, quam in jure novum non est sub usufructus legato, vel alia dispositione quoque venire ad text. *in l. Proculus, ff. de usufructu cum concordan.* quæ antiquioribus relatis deducuntur per Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 133. Bellon. jun. *de jnr. accresc. cap.* 7. *q.* 16. *n.* 379. *& seqq.* Castill. *de usufructu, cap.* 20. Buratt. *decis.* 24. *&* 45. & habetur pluries deductum *sub tit. de servit.* ad hanc materiam usus fructus.

Quodque talis esset verisimilis testatoris voluntas, deducebam ex eo, quod improbabile esset, testatorem cogitantem de superexistentia germanarum sororum matri, ac de existentia bonorum, quorum voluit sorores esse usufructuarias, voluisset ejus bona potius transire debere ad extraneos, in quos ipsa mater disponeret, quàm ad proprias sorores, ita fortè in solo usufructu substitutas, eo quia animum haberet eisdem post mortem alium dare substitutum, quem posteà omisit, cùm sæpè testatores mortis cogitatione turbati, sive à morbo afflicti, omittere soleant ea quæ cogitaverant, ac decreverant ad text. *in l. Titius Lucius, ff. de liber. & posthum. ubi scribentes, & l. mulier, ff. ad trebell. cum concordan.* per Mantic. *de conjectur. lib.* 3. *tit.* 19. *num.* 8. *cum seqq.* Fusar. *q.* 284. *n.* 4. & habetur particulariter actum infra in
6 Tudertina fideicommissi de Accursiis *discurs.* 115. Verum quamvis inspecto solo sensu naturali id aliquam haberet probabilitatem, Attamen cùm aliæ non concurrerent conjecturæ, vel adminicula, ista sola non videbatur ad id sufficiens, ideoque mihi quamvis succumbenti, visum est justè illam fuisse rejectam.

Occasione autem hujus disputationis, actum etiam fuit de articulo, An institutus in usufructu, post cujus mortem
7 alter sit vocatus ad proprietatem, dicatur hæres in totum ac pleno jure, itaut alter post ejus mortem vocatus, jure substituti potius censendus veniat, vel potius talis institutus hæres usufructuarius haberi debeat jure legatarii, alter verò dicatur hæres in proprietate ab initio, cujus quæstionis plures sunt effectus; ille præsertim, ac præcipuus caducationis, quod scilicet præmoriente illo, qui vocatus est post mortem instituti in usufructu, resultaret caducatio suæ vocationis, si hæc in substitutionem obliquam, seu fideicommissariam resolvenda esset, secùs autem è converso. Ista verò quæstio, per judicem solitum ex ingenio motivare, excitata fuit ad effectum inspiciendi, an à simili id posset huic parti in aliquo suffragari, ut substitutus in usufructu dici posset substitutus in totum; Verùm quamvis ad ornatum deducerem plura quæ desuper habentur ad favorem usufructuarii, ut interim censeri debeat jure heredis pleno jure, per fideicommissum gravati restituere ei, qui post ejus mortem vocatus est, deducendo ea, quæ pro ratione dubitandi pro hac opinione deducta habentur per Bellon. jun. *de jur. accresc. cap.* 7. *q.* 16. Capyc. Latr. *consult.* 112. Marcian. jun. *disput.* 99. latè Rota apud Merlin. *decis.* 505. aliàs *decis.* 22. *par.* 6. *rec.* Attamen considerabam inanem esse hanc inspectionem; Tum quia admissa etiam hac opinione, nullus erat ejus effectus in casu, de quo agebatur, à quo verè dicta quæstio erat extranea; Tum etiam quia, ut aliàs in præcedentibus non semel insinuatum est, quicquid desuper in Scholis, & Academiis in ratione disputativa in ista quæstione dici possit, in foro tamen ubique, præsertim verò in Rota & Curia, recepta est opinio, ut institutus hæres in usufructu, habeatur jure legatarii, alter verò post ejus mortem vocatus dicatur hæres directus ab initio, ut apud proximè allegatas authoritates, & decisiones, ac habetur particulariter actum *sub tit. de legitima & detractionibus in Molen. prædii* occasione agendi de detractione trebellianicæ, An competeret neene hujusmodi instituto in usufructu, post cujus mortem alter sit institutus in proprietate, in qua causa, Rota occasione firmandi incompetentiam dictæ detractionis, hanc opinionem cum magna discussione firmavit adeò certam, ut neque dici posset quæstio talis dubietatis, quod suffi-